



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Dioecesana Synodus Osnaburgensis Decimaquarta, Praesidente  
Reverendissimo & Illustrissimo Principe ac Domino, D. Francisco Gvilielmo,  
Episcopo Osnaburgensi, Ratisbonensi, Mindensi Ac Verdensi, ... ..

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

DIOECESANA SYNODVS  
OSNABRVGENSIS  
DECIMA QVARTA,

Præfidente Reverendissimo & Illustrissimo Prin-  
cipe ac Domino,

D. F R A N C I S C O  
G V I L I E L M O,

EPISCOPO OSNABRVGENSI,  
RATISBONENSI, MINDENSI  
AC VERDENSI,

S. Romani Imperii Principe, Comite de Wartenberg &  
Schaumburg, Domino in Wald & Hachenburg, &c.

CELEBRATA OSNABRVGI

Anno Millesimo, sexcentesimo, quinquagesimo quinto, feria  
tertia post festum S. Remigii, quæ erat dies quinta  
Mensis Octobris.



DIOECESANA SYNODVS  
OSNABRVGENSIS  
DECIMAQVARTA

Reverendissimo & Illustrissimo Prin-  
cipi ac Domino

D. FERDINANDI C. S. C.  
G. V. L. I. E. M. O.

EPISCOPO OSNABRVGENSI  
RATISBONENSI, MINDENSI  
AC VERDENSI

S. Romani Imperii Princeps, Comes de Wartenberg &  
Schauenburg, Dominus in Wald & Lichtenburg, &c.

CHRISTOPHORO GYMNASIO

Anno MDCCLXXII. diebus Octavo, nono, & decimo  
mensis Junii. In Aula Magna hujusmodi Synodi  
publice Acta.





**P**ostquam Illustrissimus ac Reverendissimus Princeps & Dominus, D. Franciscus Guilielmus Episcopus Osnabrugensis, Ratisbonensis, Mindensis ac Verdensis, per integrum ferme triennium à Diœcesi hac sua Osnabrugensi, publicis imperii ac Diœcesis suæ Ratisbonensis negotiis, in diœta præsertim Imperiali impeditus abfuisse, ad eandemque maximo Subditorum suorum applausu anno M D C L V quartâ Junii redisset, mox ex sollicitudine pastoralis ordinariæ autumnalem annuam Synodum indictam, pro hac vice, solennem ac generalem esse voluit. Proinde per totum Episcopatum suum mandavit, ut ad eandem omnes & singuli, qui de jure aut consuetudine eidem interesse tenentur, specialiter comparerent; juxta formulam sequentem.

**M A N D A T U M**

seu

**C I T A T I O S Y N O D A L I S.**

**C**um juxta antiquissimam consuetudinem hujus Ecclesiæ Osnabrugensis, altera

anni hujus Diœcesana Synodus autumnalis feriâ tertiâ post Remigii (quæ hoc anno incidit in diem quintam Mensis Octobris) celebrari solita, jam ante indicta, & in nupera Synodo debite promulgata sit, hinc Reverendissimus ac Illustrissimus Princeps ac Dominus D. Franciscus Guilielmus, qui post varios pro imperio & Ecclesiæ Dei exantlatos labores, ex publicis Imperii comitiis felix & incolumis rediit, dictæque Synodo in persona præfidere intendit, eandem ad præfatam diem per præsentem denuò indicit, mandatque pro hac vice specialiter omnibus ac singulis, ut qui eidem de jure vel consuetudine interesse tenentur, in toga longa, superpelliceo mundo & byreto coram altememorata Illustrissima Sua Celsitudine locis & horis consuetis in Synodo compareant, & ejusdem Illustrissimæ suæ Celsitudinis clementissimam mentem & mandata ulteriora expectent & audiant. Signatum Osnaburgi 15 Sept. anno 1655.

*Ad mandatum Illustrissimæ Suæ Celsitudinis speciale,*

**IOANNES BISCHOPINCK I. V. L.**  
& Officialis Curiaë Episcopalis Osnabrugensis.

**ORDO ET CÆRIMONIÆ  
S Y N O D I.**



**N**otandum quod omnes Cærimoniæ & essentialia Synodi, ipso die Synodi nec non duobus sequentibus diebus observata ac celebrata sint, pro ut in præcedentibus Synodis, & præsertim anni quinquagesimi primi, quibus ipsa Illustrissima S. Celsitudo præsedis, observata fuerunt.

Prædie igitur Synodi, die nimirum quarta Mensis Octobris, Reverendissimus ac Illustrissimus Princeps, præsentibus D. D. Officiali & Consiliariis Ecclesiasticis, in sua residentia prope Ecclesiam Cathedralē, toto tempore pomeridiano, posteaquam plenam Diœcesis suæ relationem, & quid triennali hoc tempore pro bono Ecclesiæ & Cleri Osnabrugensis peractum esset, à ministris suis ad id deputatis percepisset, Decanos & alios de Clero ad audientiam admissi, & tabellam disciplinæ Synodalis prælegi fecit.

Ipso die Synodi in Cathedrali & omnibus aliis Ecclesiis tam Collegiatis quam Regularibus mane horâ quartâ inchoatum matutinum, ita ut horæ minores omnes, & sacrum conventuale ante septimam finitum fuerit. Horâ sextâ matutinâ majori campana Cathedralis datum est signum ad Syn-

odum. Sub hac compulsatione convenit ad Cathedralē Ecclesiam Clerus tum secularis, tum Regularis, Collegiatis nem omnes, & Capitulum Cathedralē. Horâ septimâ publicè per unum Vicarium Cathedralis Ecclesiæ Subcensodem, proximè ad Sacrificiam prælectus ordo processionis Synodalis, & ubi per Magistrum Cærimoniarum omnes in ordinem dispositi erant, incepit se movere Clerus sine cantu, præcedente cruce & Scholaribus ad adducendam Illustrissimam suam Celsitudinem ex Residentia, compulsantibus omnibus Campanis.

Illustrissimus ac Reverendissimus Princeps, aulicis de mora stipatus, in egressu residentia suæ ad portam subsistens, a Clero per ordinem transeunte, cum profunda & debita inclinatione salutatur, ac post Capitulum Cathedralē immediatè, indutus rochetto, cappa Episcopali Violacea, & rubro pileo quadrato, juxta speciale privilegium hujus Ecclesiæ, ac consuetudinem Ecclesiarum Cathedralium Westphalicarum, sequente Capellano ad caudam secutus fuit.

Sacrum hoc die de Spiritu sancto cantavit Illustrissimus ac Reverendissimus Princeps, assistentibus Illustrissimæ suæ Celsitudini quatuor Canon-



*eis Capellanis ordinariis de gremio Capituli, aliisque Ministris juxta ceremoniale requisitis.*

*Cerimonie sub hoc sacro quo ad iherificationem & communionem cleri, invocationem item*

*Spiritus sancti post sacrum, lectionem Evangelii & ordinem processionis ad locum Synodalem omnes, ut in Synodo quinta observata fuerunt.*

## SESSIO PRIMA.

**I**N loco Synodali ut primum Illustrissima Sua Celsitudo finito hymno, & cantato vers. Emitte &c. collectam de Spiritu sancto subjunxit, ac postmodum in suo faldistorio ante altare parato, cum reliquo clero in solis & cuique assignatis locis confedit, statim Officiale ad se vocavit, cum mandato ut presentes interrogaret, num placeat eis Synodum inchoare: quod is fecit ut in majori reliquisque precedentibus Synodis, per verba Reverendissimus in Christo Pater, &c.

Omnibus per verbum, placeat, respondentibus, Synodum aperiendam esse declaravit: Christi nomine invocato, &c. ut ibidem.

*Hoc accepto responso, idem Officialis Illustrissime Suae Celsitudini, nomine totius Cleri, de felici ad hanc suam diocesim reditu, post varias itineris & viarum difficultates, gravissimosque pro Ecclesia Dei & toto imperio Romano susceptos labores per integrum quasi triennium, adgratulatus est, toto Clero stante detecto capite, hisce pene verbis:*

Reverendissime ac Illustrissime Princeps, Domine Clementissime: Quantum gaudium felix reditus salvusque regressus Illustrissimæ Tuæ Celsitudinis in hanc tuam Diocesim ac Provinciam ante quatuor menses omnibus hujus patriæ, utrique tuo gladio subditis tam Catholicis, quam etiam alienæ fidei cultoribus attulerit, non est quod nunciem, cum ipse, dum patriam hanc per singulas satrapias, ut oves tuas videres, & ipsi vultum Pastoris sui intueri possent, obivisti, sat superque videris, Tibi præ gaudio Cordis, lachrymis etiam oculorum, manuumque ad Deum supplicum ostensione, gratias Deo agentes, congratulantes, longamque vitam & diurnam apud nos mansionem Patri Patriæ apprecantes.

Nemo certè tam imprudens erit, qui non majori læticia hunc Tuum, quem sat copiosum cernis, Clerum circumstantem orthodoxum, ex Tua præsentia perfusum existimet: & cum omnes illam exprimere non valeant, nec singuli dicere audeant, per me Tibi, suo Episcopo, suo Pastori, suo Capiti, suo Principi, suo Domino Clementissimo, simul & charissimo id fieri voluerunt: Gratulamur itaque omnes & singuli, tam pro nobis, quam nomine absentium Tibi, Illustrissime Princeps, de Tua in hac patria, præsentia, & specialiter in hoc loco, ubi verè munus tuum Episcopale jam per multos annos fideliter exercuisti, nos

spiritualibus doctrinis incessanter instruxisti, orthodoxam religionem Zelosè post tot exilii annos reduxisti, paternè fovisti, ac maxime auxisti, nosque & templis & aris, domiciliis ac libertati Ecclesiasticæ privilegiisque feliciter restituisti.

Meminimus adhuc præceptorum, quæ nobis ante Tuum abitum in simili soleenni confessu hoc in loco die prima Octobris anni 1652 uti tesseram ac mnemosynon patetno planè affectu dedisti, & reliquisti; quando cum S. Paulo Apostolo, qui Actorum 20 cum ab Ephesina Ecclesia discederet idem fecit, nobis valedixisti, & tristitiam lachrymasque nostras, quas avulsio illa Patriis nobis expresserat, solatus es, quod amore affectuque & animo apud nos vinctus remaneres, nec unquam divelli taliter velles, aut posses, cum nobiscum vinculis charitatis constrictus semper futurus esses: sensimus hoc revera Illustrissime Princeps ac Pater, cum in singulis nostris, juxta sacras constitutiones synodales, & consuetudinem sæculorum in hac Diocesi Tuâ, ecclesiasticis synodalibus congregationibus celebratis, memoriam Tui abundè literis pastoralibus refricares, & paterna viscera etiam à longè ostenderes nobis benigna & amantia.

Nec dubites, Illustrissime ac Reverendissime Pater, quin nos filii singuli omnibus diebus pro Te, pro tua sanitate, pro Tuis laboribus quos ubique ad majorem Dei gloriam & Ecclesiæ veræ Catholicæ commodum intendis, ac impendis, orationibus ad Deum piisque operibus instantes fuerimus: hoc non solum debitum nostrum fuit, ut servorum, sed etiam filialis amor erga Patrem, infinitus quidam naturalis erga Pastorem, & reverentia erga Principem, obedientia, cum id à nobis abituriens exegisti, talia expressit: nec frustra aut in vanum; habemus enim Te præsentem, videmus sanum, pro quo beneficio immortales Deo agimus gratias, audiemus hic cum debita humilitate loquentem, sequemur ulterius mandata Tua salutaria, nec cessabimus cum universa Ecclesia Osnabrugensi ad Deum orare, & clamare pro Te, ut multi adjiciantur anni pro salutari gubernio tuarum Diocesim, ut vivas, & hic, & olim sero in æterna beatitate. Ita omnes toto corde vovemus, & Illustrissimæ Celsitudini Tuæ nos humiliter commendamus, &c.

Qua



*Qua gratulatione peracta, mox subjunxit: Illustrissime, &c. ut in alitis Synodis.*

*Ad quæ Promotores Synodales ab Illustrissima Sua Celsitudine pro hac vice denominati ac deputati fuerunt, in absentia Thesaurarii Cathedralis Ecclesie Iodoci à Ledebur, D. Bernardus Matthiæ à Campo, SS. Theologiae Doctor, & Canonicus ad S. Ioannem. D. Ioannes Brogeren, J. V. L. Canonicus SS. Ioannis Baptistæ & Euangelistæ Ratisbonæ, & Pastor in Rimlo. In simili, in Secretarium Synodi D. Conradus Burenus, Canonicus ad S. Ioannem Osnabrugi, & Pastor in Ecclesia Cathedrali. In Actuarium D. Christianus Brockman, Pastor in Wahlenhorst. In Notarium Gerardus Brickwedde, Curie Episcopalis Notarius Ordinarius.*

*His omnibus solitis suis locis consentientibus, mox Illustrissima Sua Celsitudo Clerum suum resalutavit, ac internam animi sui letitiam de presentia venerabilis Capituli sui, tot insignium & Collegiarum Ecclesiarum, Decanorum item ruralium, Parochiarum, Beneficiorum & aliorum Regularium, non obsecris indicis contestata fuit, in hunc ferme sensum:*

Jam tandem ad hanc Ecclesiam Nostram Osnabrugensem post publica & gravissima tum Imperii Romani, in publicis, ac solennibus illis comitiis, tum Ecclesie similiter mee Ratisbonensis (cui licet indignus etiam præsum) negotia elapsis tribus integris annis, divina favente gratia redux (vos Fratres ac filii in Christo charissimi, gaudium meum & corona mea) in hoc sacro Synodali consensu præfens corpore, pro more Nostrò, pro munere meo Episcopali, pro paterna in vos dilectione, pro bono Ecclesie Nostræ, pro salute animarum Nobis commissarum iterum alloquor: ut ubi anno 1652 primâ Octobris, ad præfatas superiores partes Germaniæ iturus, Vobis valedixi, paternæque benedictionem Episcopalem impertitus sum, in eodem loco non tam Vos me Episcopum & Patrem Vestrum ut fecistis excipiat, quam Ego vos filios charissimos paternis viscibus iterum complectar. Gaudeo quod intelligam Vos meminisse eorum, quæ præcepta, ante præfatum meum abitum in Regionem longinquam vobis valedicendo hoc eodem in loco dederam, tesseramque singulis reliquerim ex Doctrina S. Pauli Apostoli 1 ad Timoth. cap. 4. Attende tibi & doctrinæ. Item ex eodem Actor. cap. 20. Attendite Vobis, & universo gregi, id est, ut tum vestram, tum aliorum, vobis commissorum, salutem debitè operamini, verbo & exemplo digne ambulantes vocatione vestra, qua vocati estis; hanc inquam tesseram, ut spero, conservatis hucusque conferentes continuò in corde vestro, & proximo lucis exemplo demonstrantes; pro ut etiam non dubito, quin quod meritò à vo-

bis petii, & jam luculenter contestati estis, oratio sine intermissione ab hac Ecclesia ad Deum pro me facta sit; cum tam felicem reditum, leniumque meum interea satis auctum, non meritis meis tribuam, sed vestris aliorumque bonorum orationibus me à Deo participem factum esse agnoscam. Proinde gratias agens vobis me obligatum fateor; iterum gaudeo quod & vicissim me spiritu vobis alligatum cum eodem S. Paulo semper vobiscum fuisse agoveritis ex literis meis pastoralibus, in Synodalibus congregationibus à vobis celebratis, perlectis. Testis est etiam mihi Deus, cui servio in spiritu meo, in Euangelio Filii ejus, quòd sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. Prout idem Apostolus scribit Rom. 1.

Ut autem re ipsa me vobis gratum exhibeam, nunc pro Germaniæ nostræ more, cuique vestrum aliquod memoriale apporto; instructionem scilicet Joannis Trithemii, Tractatum ad Nicolaum Mernicensem Presbyterum, de Ecclesiasticorum vita dignè instituenta, libellum planè pro Ecclesiasticis aureum. Sanè postquam in ea tempora incidimus, quibus maxime, si unquam, exhortationibus creberrimis opus est, operæ pretium astimavi, si quod, tum per me ipsum, in diversis Synodis vobiscum celebratis, & vivâ voce, & per aliquot pastorales epistolâs, tum per alios meos ministros Ecclesiasticos in solitis Cleri congregationibus, & publicè & privatim triginta integris annis, quantum in me fuit, præstiti, id scripto in præsentia dentò omni sedulitate conarer, ut scilicet vobis singulis paterno studio vestri officii perpetuum monitorem aliquem constituerem. Nam, ut nescio, quo pacto mirificè afficiant, quæ auribus hauriuntur, non minus tamen commovere ea etiam plerumque solent, quæ ipsi meditati diligenterque perpensis rationibus à multis interpretibus accipimus.

Qua de causa ut dixi, Venerabilis Ioannis Trithemii, olim Abbatis Sponheimensis celeberrimi & nunquam satis laudandi, maximeque de Ecclesia Dei merito, Ordinis S. Patris Benedicti, almæque congregationis Bursfeldensis, Viri (ut ex ejus scriptis apparet) & vitæ & eruditionis spectatissimæ, præfatum libellum delegi, quem etiam cum quibusdam notis non inutilibus, typis excudendum curavi, ut eum scilicet multiplicatis exemplaribus vestrum quilibet frequenter in manibus teneret, ac penes se continuo haberet, eoque quasi vitæ Ecclesiasticæ duce per istas, hujus sæculi nostri salebras uteretur: sanè de sacerdotum, Clericorumque omnium vitâ piè, sanèque instituenda optima, & ad corruptiores nostri temporis mores accommodatissima præcepta tradit, quæ omnia, uti ex limpidissimis Theologicæ doctrinæ fontibus de-



prompta inuenietis, ita nil præter saluberrimas admonitiones, nil præter Christianam pietatem, nil denique præter salutis æternæ adipiscendæ rectissimam, amoenissimamque viam, vobis fratram intuebimini. Verum cum vix sit, ut à Nobis ita aliquid novum ac inauditum excogitari, dicere possit, quin antea vel sæpius dictum, auditumve sit, Trithemium præfatum hoc argumentum post alios maximi nominis Theologos tractasse, inficiari nec possum, nec volo: nam quo ille vixit tempore, jam ante centum & triginta sex nimirum annos (mortuus est enim anno 1519) libertatis scilicet Cleri & populi tam in disciplina, quam in fide, aut eadem vigebant, quæ hodie flagitia, aut hanc nostram tempestatem tot (pro dolor) sceleribus, & Ecclesiam Dei scandalis Ecclesiasticorum, contaminatum iri vaticinatus est: ita plerorumque scilicet mores depingit, atque adeo nobis quid agendum quid fugiendum egregiè ob oculos proponit: quæ potissima ratio fuit, cur vobis piissimum hunc libellum præ cæteris commendandum censuerim.

Cum igitur meum sit præire, & vos Pastoris voce vocare, vos excitare continuo, ne aut aqua stagnans putrescat, aut hortus incultus manens sylvelcat, aut ferrum non continuo tritum rubiginem induat, persuasum omnino habetote, illud me libentius, ac sæpius, & ulterius facturum, quod sciam, & vestrum esse Pastoris Vestri & Episcopi vocem sequi, & cohortationes meas apud vos omnes omnino inanes hæctenus non fuisse, quarum fructus sentio, & universus grex Noster, ut spero, uberores adhuc percipiet, si quod sponte vestra feceritis, meis etiam precibus toties reiteratis, alacrius ad præfati Abbatis Trithemii præscripta, vitam vestram institueritis, quod in Domino de singulis vestrum planè confido.

*Finita hæc resalutatione ulterius allocuta est Synodus; ut in pontificali Romano. Venerabiles Sacerdotes.*

*Quo peracto primus promotorum D. Bernardus Matthia à Campo, sequenti modo Synodum est allocutus, legitque decretum de non discedendo. Reverendi, Nobiles, &c. ut in Synodo majeri.*

*Deinde ex mandato Illustrissima sua Celsitudinis per Officialem reproductæ sunt citationes, debite affixæ, promulgatæ, ac intimatæ, Notarioque publicè consignatæ.*

*Vi vero de absentium ac præsentium numero constaret, mandatum fuit Actuario Synodi Christiano Brockman ut omnium, & singulorum nomina clara voce recitaret; jussumque fuit ut præsentibus*

*per verbum, Adsum, præsentiam suam contestentur, absentium vero nomina per Notarium synodalem singulaviter annotentur.*

*Finita lectione catalogi, secundus promotor accusavit solito modo absentium contumaciam, his verbis; Illustrissime & Reverendissime Princeps, &c. ut in aliis Synodis.*

*Ad quæ respondit Illustrissima sua Celsitudo: Decernimus ut non obstante contumacia, &c. ut ibid.*

*Postmodum sua Celsitudo specialem habuit sermonem synodalem ad hanc & mediam, cujus hic fere erat sensus:*

Proposuit parabolam Christi Domini Luc. c. 19. de homine nobili abeunte in regionem longinquam, & qui rediens à servis suis, quibus talenta pro negotiatione commiserat, rationem negotiationis exquisivit. Ita sibi quoque ex officio Episcopali singulariter incumbere asseruit. Postea modum docuit verè cum talentis commissis negotiandi cum fructu & fœnore, quem personæ Ecclesiasticæ servare debeant, ne cum illo servo nequam, qui mniam sibi creditam abscondit, à Domino mereantur castigari: ac quatuor præcipuè media non otiosæ negotiationis adduxit: quorum primum hac fessione explicavit, fugam scilicet rerum ac personarum sæcularium, quæ nos in negotiatione salutari impediunt.

*Finita hac concione primus Synodi promotor, ex mandato Illustrissima sua Celsitudinis, his verbis Clerum allocutus est:*

Illustrissimus, &c. pro bono hujus Ecclesiæ regimine & novo stimulo addendo juxta præscriptum SS. Concilii Tridentini generalia quædam statuta perpetuis futuris temporibus duratura, & in singulis Synodis de certo ordine, ministris & functionibus Ecclesiasticis prælegi solita, denuò conscribi, & in certum ordinem redigi curavit, quorum lectio publicè nunc fiet. Quare vos omnes & singulos hic præsentibus in Domino adhortor ut diligenter auscultetis, & si quid ulterius pro communi bono & Ecclesiasticæ disciplinæ ac libertatis conservatione proponendum existimetis, id ipsum cum debita reverentia in medium proferatis, ut communi studio omnia ad optimum Ecclesiæ statum dirigantur, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, & animarum salutem, &c.

*Hoc factò Secretarius Synodi accessit D. Officialem, & ex ejus manibus accipiens Decreta sua Celsitudinis, supplex interrogavit, num placeat legi prædicta Decreta Generalia.*

*Sua Celsitudo respondit, placet, legantur. Quare Secretarius ambonem paratum ascendit, & legit stans uti sequitur:*



DECRETA SYNODI PRÆSENTIS  
GENERALIA.

DECRETVM PRIMVM,  
*de Synodo incepta.*

**U** Abetur ad verbum in Synodo quinta,  
fol. 301.

DECRETVM II.

*De modo vivendi, Synodi tempore.*

Fol. 301.

Nota, cum allegata in dicto decreto tabella  
disciplinæ Synodalis, per Nos in multis aucta, ean-  
dem integram hic subnectimus.

T A B E L L A

*Disciplinæ Synodalis.*

I. **C**lerus ad Synodum convocatus, fe-  
cum cogiter, quas ob causas hæc  
actio aniversalis celebretur.

II. Omnes vos diligenter ad sacram Com-  
munionem præparate.

III. Assidue, caste pureque preces D E O  
adhibete.

IV. Ad rei, cujus causa convenistis, gra-  
vitatem intenti, tota animi cogitatione in eam  
incumbite.

V. Ad cauponas ne divertite.

VI. Nolite per plateas vagari, aut præcu-  
riostate, hac atque illac circumcurfare.

VII. Ad synodalem sessionem, statâ hora  
indicta, sollicitè convenite.

VIII. Nec vero raptim, sed gravi incessu.

IX. Ubi convenistis loco constituto, su-  
perpellicea munda ac decencia, aut alias ve-  
stes, pro Ecclesiastici beneficii ratione, in-  
duite.

X. Decenter induti, ad statum sessionalem  
locum, non turbulentè, sed quietè, acce-  
dite.

XI. Bini, quoad ejus fieri potest, conve-  
nite.

XII. Ordine confidete.

XIII. Mane priusquam conveniatis, ci-  
bum ne capite, aut potum, minus tabaco uta-  
mini, sed jejuni adeste. In prandio etiam ita  
Vos geratis, ut omnem excessum, præsertim  
in potu evitetis, & necessitati tantum naturæ  
satisfaciatis, & ut prompti paratique ad ses-  
siones pomeridianas, si quæ habendæ sint,  
aliosque Conventus, debite comparere pos-  
sit.

XIV. Jejunium, quod in Ecclesiasticis  
his actionibus olim institutum fuit ut proxima  
feria. 6. servetis, hoc valde hortamur in  
Domino.

XV. In loco autem benedictionis, quod est

templum D E I, confidentes, ne vocibus ob-  
strepite.

XVI. Non tumultibus rem synodalem  
perturbate.

XVII. Non confabulationibus operam  
date, minus somno sopiti adeste, ut ea, quæ  
D E U S per Nos à vobis exigit, digne in ejus  
conspectu, (qui in medio hujus sacri cœtus  
se futurum promisit,) percipere possitis, &  
ad salutem tum vestram, tum aliorum Vobis  
commissorum sempiternam exequi, pœnas-  
que otiosis imponendas, declinare valeatis.

XVIII. Non è cancellis, intra quorum  
fines sessio Diœcesana habetur, exite, nisi ab-  
soluta sessione, aut necessaria de causa.

XIX. Cum autem exire necesse habetis,  
facultatem à Vicario generali petite, reverfi,  
ad eundem venite, antequam designato loco  
confideatis.

XX. Sessione de more absoluta, non rap-  
tim turbulentè discedite, sed graviter de-  
coroque incessu.

XXI. Hæc omnia servate.

XXII. Cavete denique, quæcunque, &  
Ecclesiasticæ disciplinæ, & synodalis actio-  
nis dignitati, & loci venerationi, minimè  
conveniunt.

XXIII. Si quæ gravamina habetis, in  
scripto edite.

DECRETVM III.

*De Collecta in Missa pro peccato-  
rum venia.*

Fol. 302.

DECRETVM IV.

*De præjudicio non asserendo.*

Fol. 302.

DECRETVM V.

*De non discedendo.*

Ibidem.

DECRETVM VI.

*De oratione publica.*

Ibidem.

*Hoc lecto Decreto, Illustrissima S. Celsitudo  
specialiter Clerum, ut pro præsentis nunc necessitate  
publica, & contra persecutores Ecclesiæ ad DEUM  
orent, in hæc verba adhortata fuit:*

Recte enim fidelis Apostolus Nos vocat  
corpus Christi, & membra de membro; si  
quid igitur patitur unum membrum, compa-  
tiuntur omnia, quorum hoc tempore quæ-  
dam à Turcis, quædam à Moscis, & Hethero-  
doxis,



doxis, vehementer infestantur, nec desinunt ipsimet Christiani Principes, infestis inter se armis concurrere, ut æquum & rationi consentaneum sit, miseris hisce Noftris confidelibus, quibus possumus, officiis charitatis, succurrere; quorum cum præcipuum sit Oratio, quæ mœstis solatium, periclitantibus auxilium, oppressis salutem, & quandoque victoriam conciliat, hoc saltem subsidio, quod omnibus in promptu est, subvenire studeamus, ut tandem pace inter Orthodoxos sancta, facilius Barbarorum incursum, Christi fideles & membra declinent, graviaque S. Matris Ecclesiæ damna, caveantur, quem in finem, quilibet ad sua reversus, pro pietate sua in Ecclesiis sibi commissis, particularem devotionem procurabit, usque dum Nos propediem publicam per Dicecesin ordinemus.

Notandum, hoc in ista Synodo speciale tantum fuisse; pro hac vice.

#### DECRETVM VII.

##### De Oratione pro Defunctis.

Quandoquidem cum fortissimo viro Iuda Machabæo merito considerare debeamus, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperunt, optimam habeant repositam gratiam, unde sancta & salubris sit cogitatio, pro Defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. Hinc denunciantur Charitati vestræ sequentes Confratres Nostræ hujus Dicecesis, qui ab ultima Synodo; piè ex Clero in Domino obierunt: Casparus Sprickman, Vicarius Cathedralis Ecclesiæ, Ioannes Manicæus . . . . . Henricus Holscher, Capellanus ad S. Ioannem Osnabrugi, quorum animas juxta statuta synodalia, specialibus precibus, non solum craftina die, sed alias etiam usque ad sequentem Synodum, Omnipotenti DEO, dignè commendate, considerantes cuique nostrum, pro sua æterna requie, suo tempore olim ab universo coetu Ecclesiastico, demi præstandum.

Hoc lecto, Illustrissimus ac Reverendissimus Princeps, surrexit, & flexis genibus incepit Psalmum Miserere, toto Clero alternatim respondente, cui subjunxit Illustrissimus Collectam, DEUS veniæ largitor, qua finita Illustrissimus in suo faldistorio, & totus Clerus suis locis, denuò confedit.

Notandum, si ab ultima Synodo, nullus esset mortuus, imposterum idem Decretum legatur, correctum tamen, & specialibus denunciationibus mutatis in generalem, pro omnibus scilicet ex hoc Clero defunctis.

Deinde Secretarius perrexit ad reliqua Decreta legenda.

#### DECRETVM VIII.

##### De professione fidei faciendâ.

Fol. 302. col. 2.

Lectò hoc Decreto, omnes & singuli, qui ad

officia, beneficia aut Parochias de novo admissi fuerant, aut alias professionem fidei in Synodo non emisserant, eandem ad manus Illustrissimæ S. Celsitudinis tacitis S. Evangelis præstiterunt, ac deinde redeuntes ad loca sua, singuli nomina sua cum beneficiis & officiis, Notario Synodi, ut Protothollo inferrentur, consignarunt.

#### DECRETVM IX.

##### De Decanatibus.

Qui ad Decani aut Camerarii Capitulorum Ruralium officium de novo promoti sunt, & juramenta consueta in hoc Synodali loco nondum præstiterunt, nunc id faciant, & postmodum sua nomina Notario, protothollo inferenda, consignent.

Notandum, in hac Synodo speciale tantum fuisse quod sequitur:

Ut vero Nobis, vobisque nunc constet, quomodo & quinam in talibus muneribus constituti sint, volumus, ut singulorum nomina, pro hac vice, perlegantur.

##### In Decanatu Civitatis.

Decan. C Vnradus Burenus, Canonicus ad S. Ioannem, & Cathedralis Ecclesiæ Nostræ Pastor.  
Camerar. Ioannes Victor Wernecking, Pastor ad S. Ioannem.

##### In Decanatu Widenbrugenfi.

Decan. Christophorus Strengerus, SS. Theologiæ & Medicinæ Doctor, Collegiatae Ecclesiæ Nostræ ibidem Decanus.  
Camerar. Ioannes Sprengerus, Canonicus Widenbrugenfis, & Pastor in Guterslo.

##### In Decanatu Iburgensi.

Decan. Admodum Reverendus Dominus, Iacobus Thorwarth, Monasterii S. Clementis in Iburg Abbas, & Protonotarius Apostolicus.  
Camerar. Theodorus Mauriti, Pastor in Hagen.

##### In Decanatu Fürstenawensi.

Decan. Pater Petrus Gellerman, Societatis IESU Sacerdos, & Vicecuratus in Batbergen.  
Camerar. Ioannes Wenninck, Ord. Cisterciensium, & Pastor in Berfenbruck.

##### In Decanatu Vördenfi & Wittlacensi.

Decan. Pater Ioannes Zurtraffen, Societatis IESU Sacerdos, & Vicecuratus in Vörden.

Came-



Camerar. Ioannes Busch, Pastor in Oestercappelen.

*In Decanatu Grönenbergensi.*

Decan. Hermannus Hoffhaus Pastor in Willingholthausen.

Camerar. Pater Henricus Frey, Societatis IESU, sacerdos & Vicecuratus in Melle.

*In primario Embslandiæ Decanatu, cis Amasim fluvium.*

Decan. Dominus Engelbertus Moseler, Commissarius Noster Generalis per Embslandiam, & Pastor in Hafelunen.

Camerar. Everhardus Ioannis, Pastor in Bocklo.

*In Decanatu Embslandiæ secundo.*

Decan. Albertus Abt, Ordinis S. Benedicti, & Pastor in Meppen.

Camerar. Ioannes Wesseling, Pastor in Haren.

*In Decanatu Vechtenfi.*

Decan. Ioannes Stockman, Pastor in Vechte.

Camerar. Ioannes Wafferman, Pastor in Languorden.

*In Decanatu Cloppenburgerfi.*

Decan. Gerhardus Covers, Pastor in Cloppenburg, & Vicarius Cathedralis Ecclesiæ Nostræ Osnabrugensis.

Camerar. Ioannes Brandt, Pastor in Essen.

*In Decanatu Ritbergensi.*

Decan. Engelbertus Steincamp, Pastor in Rittberg.

Camerar. Ioannes N. Pastor in Nienkercken districtus eiusdem.

DECRETVM X.

*De Examinatoribus.*

*Hoc Decretum cum formula iurijurandi ab Examinatoribus præstiti habetur in Synodo quinta, fol. 311.*

In hac vero Synodo, Examinatores de novo præter Illustrissimæ ac Reverendissimæ S. Celsitudinis in Pontificalibus & Spiritualibus Vicarios Generales & Officium Præpositi fuerunt, Dominus Ewaldus Markius SS. Theologiæ Licentiatus, Dominus Bernardus Matthiæ SS. Theologiæ Doctor, Conradus Burenus, Cathedralis Ecclesiæ Pastor, & Canonicus ad S. Ioannem, Pater Ludovicus Crabbe, Prior Dominicanorum.

*Subiunxit Secretarius in hæc verba, Placentne Vobis?*

*Respondente Clero, placent.*

*Secretarius Synodi subiunxit, si qui novi ex admittis & approbatis sint, accedant, & solitum præstent iuramentum Examinatorum; quod & factum.*

DECRETVM XI.

*De Iudicibus Causarum Apostolicarum.*

Cum etiam Conc. Trid. & statuta Metropolitanæ constituant, nec non consuetudo huius Ecclesiæ sit, ut etiam Iudices Causarum Apostolicarum in Synodis constituantur, qui juxta Tridentinum, Cathedralis Ecclesiæ Canonici, aut aliis in dignitate constituti esse debent. Hinc denuò sequentes publicamus & denominamus,

D. Ioannem à Leerad, Cathedralis Nostræ Ecclesiæ Osnabrugensis, Præpositum.

D. Ioannem Wilhelmum à Winkelhausen, eiusdem Ecclesiæ Decanum.

D. Ioannem Biscopinck, Curie Nostræ Episcopalis Officium, Protonotarium Apostolicum, & Canonicum, ad S. Ioannem.

D. Rabanum Heisterman, Collegiæ Ecclesiæ ad S. Ioannem Decanum.

Placentne Vobis?

*Respondit Clerus, placent.*

DECRETVM XII.

*De Censore Librorum.*

Censorem librorum volumus & denuò nominamus D. Ewaldum Markium, SS. Theologiæ Licentiatus, Canonicum ad S. Ioannem, & Consiliarium Nostrum Consistorialem.

DECRETVM XIII.

*De Pœnitentiario.*

In Pœnitentiarium Episcopalem publicum in Nostra Cathedrali Osnabrugensi Ecclesia constitutum & deputatum, Patrem Ludovicum Crabbe, Priorem Dominicanorum.

Placentne Vobis?

*Respondit Clerus, placet.*

DECRETVM XIV.

*De Syndico Cleri.*

Cum prioribus, præsertim belli temporibus, varia ab Ecclesiis bona, abalienata sint; posterioribus etiam ob negligentiam Prælatorum, Parochorum, aut quorumcumque beneficiarum, idem evenire posset: Hinc pro recuperandis bonis Ecclesiarum, & conservanda immunitate Ecclesiastica, Dominum Wennemarum ab Ascheberg, Osnaburgi ad S. Ioannem Canonicum, & Assessorem Nostræ Curie Episcopalis, ad hoc speciahter deputamus,



putamus, ut si qui se læsos aut defraudatos sentiant, querelas ad eum deferant, & ab alienata pro posse recuperare, ipsius Consilio & auxilio, studeant.

#### DECRETVM XV.

Quandoquidem nonnulla beneficia diversis in locis Nostræ Diœcesis, & præsertim in territoriis Diœcesanæ Nostræ jurisdictioni subiectis, à Laicis & potentioribus supprimantur aut alienentur. Hinc D. Bernardum Matthiæ SS. Theologiæ Doctorem, Canonicum ad S. Ioannem, Consiliarium Nostrum Confistorialem, nec non Sigilliferum Nostrum, ad hoc constituimus ac denominamus; ut is singularem eorum curam habeat, & redditus ad usum debitum, & Nostram ordinationem accommodet.

#### DECRETVM XVI.

##### *De Subsidio Charitativo.*

Cum juxta sacrorum Canonum statuta, & antiquam consuetudinem hujus & aliarum Ecclesiarum, Cathedralium, Synodi tempore, & subsidium charitativum singulis legitimis Episcopis debeatur, nec non juxta Concilium Tridentinum, uterque Clerus ad Contributionem seminarii, teneatur, Nos, consideratis horum temporum incommodis, uti hætenus, ex singulari gratia id ipsum remittimus, jura tamen Nostra in meliora tempora reservantes.

#### DECRETVM XVII.

His finitis, cum instaret hora duodecima, accessit Secretarius Synodi ad Illustrissimum & petit, an placeat indici finem hujus primæ sessionis synodalis, & indictionem proximam.

Respondente Illustrissimo placet, certumque tempus pro secunda sessione determinante, Secretarius Synodi in suggestu indicit finem hujus sessionis, & continuationem proximam, in hæc verba.

#### DECRETVM XVIII.

##### *De fine sessionis hujus Synodalis, & indictione proxima.*

Illustrissima S. Celsitudo decernit Synodi hanc primam sessionem nunc finiendam; ac proinde mandat omnibus & singulis, ut cras hora septima sacro funebri solenni pro defunctis Episcopis, Prælatiis, Canonicis, aliisque de Clero Osnabrugensi, præsertim, qui à proxima Synodo obierunt in Cathedrali, habendo interfint, prius tamen qui legitime impediti non sunt, in Cathedrali, vel aliis Ecclesiis, tempestive pro iisdem celebrent.

Mandat præterea, ne quisquam à loco hoc discedat, priusquam ipsamet S. Illustrissima Celsitudo hinc abierit, nec vero raptim, turbulenterve, sed gravi ac decoro incessu id faciant; vult insuper Illustrissima S. Celsitudo, ut hodie post prandium, ad secundam pomeridianam, omnes per Decanatus instituant scrutinium in hoc loco Synodali, & qui vocabuntur pro examine, vel alias, habebunt proponenda coram sua Illustrissima Celsitudine debite compareant.

Post hæc Promotores Synodi insiterunt accersito Notario contra contumaciam absentium, & requisitus Notarius Synodi pro conscribendis Instrumentis de iis, quæ in hac sessione synodali, peracta fuerunt. Orationes item habuit mentales, ut in quinta Synodo. Data etiam benedictio, manu tantum ab Illustrissima ac Reverendissima S. Celsitudine nihil dicendo, prout in Pontificali Romano. Reliqua omnia, ut in Synodo quinta, fol. 303. usque ad secundam sessionem excusare, peracta fuerant.

Omnibus in prima sessione peractis, dum Illustrissimus à loco synodali exiret, prius, omnes, & singulos quibus placuerit, ad prandium in Residencia sua, per Magistrum Cœremoniarum; præsertim qui longius hinc distabant, ad evitandos ipsorum sumptus ex speciali gratia invitari fecit, comparuerunt plerique omnes, & in eodem loco in distinctis mensis pro qualitate personarum, honorificè ac decenter, tractati fuerunt.

In loco refectionis, lectione mense habita per Capellanum Illustrissimi ex concionibus priorum Synodorum, nonnulla etiam ex libello Truemii, de quo supra, subjuncta fuerunt.

Post mensam, peractis DEO gratiis, substituit nonnihil in loco prandii, Illustrissimus ac Reverendissimus Princeps, & singuli, audientiam habere cupientes, ad eandem admissi fuerunt: Hora 1. datum signum ad Vesperas.

Ad medium horæ secundæ magna Campana Clerus Pastorum per Capitula sex Decanatus pro examine & scrutinio inter singulos Decanatus faciendo, ad locum synodalem convocatus, comparuit.

Hora secunda, Illustrissima S. Celsitudo Rochetto, Cruce passerati, Mozetta & Biveto rubro induta, ad locum Synodalem subsecuta fuit, ut primum eisdem ingressa est, ad privatum & specialiter ad id preparatum cubiculum, perrexit, & diversa Cleri gravamina à singulis, audientiam petentibus, una cum Consiliariis suis Ecclesiasticis, percepit, multaque privatorum correxit, & in melius ordinavit.

Interim in loco synodali contiguo scrutinium; & quid per Decanatus peractum, relatio per singulos Decanos, una cum Camerariis Illustrissimæ S. Celsitudini facta, usque ad septimam noctis.



## SESSIO SECVNDA.



Ltera die Synodi, quæ fuit sexta mensis Octobris, mane horâ sextâ datum est signum majori campana Cathedralis Ecclesiæ ad sacrum pro defunctis ut supra habendum.

Sub hac compulsatione convenit totus Clerus ad Cathedralem Ecclesiam ut heri.

Horâ septimâ Illustrissimus cum suis pervexit ad Ecclesiam, exceptus more solito à Capitulo, transfundo genusteletem Clero & populo benedixit.

Sacrum hoc die pro defunctis habuit ipsamet Illustrissima S. Celsitudo, Canonicis Cathedralis Ecclesiæ, aliisque ministris eidem de more assistentibus.

Sacro funebri & absolutione pro defunctis habita, Illustrissimus cum Ministris paramenta nigra deposuit, aliæque Synodo convenientia ut heri assumpsit, orationes & reliqua cærimonialia juxta Pontificale, ut altera die Synodi statuitur, observata fuerunt.

Omnibus synodalem locum processionaliter ingredientibus, per duos ministros Clericos hinc inde ad portam stantes singulis distribuit sunt libri Abbatris Truemi, de quibus supra dictum.

In loco synodali postquam Illustrissimus Clerum allocutus fuit: Venerabiles fratres, &c. ut in Pontificali, mox altera vice ad Clerum per horam & ultra dixit, asserens alterum medium salutaris negotiationis esse laborem in rebus Ecclesiasticis continuum, latè explicando hanc materiam, præsertim de damno otio Ecclesiasticis fugiendo.

Finita concione secundus Synodi promotor Clerum in hæc verba allocutus fuit.

Illustrissimus, &c. postquam debitam hujus Diocesis sue status relationem, à ministris Ecclesiasticis, & quæ per scrutinium cognita fuerunt, accepit, dolenter intellexit, præteritis decretis, & præcipue anno quinquagesimo primo post restitutionem hujus Diocesis salubriter in Domino latis, non usque adeo satisfactum esse. Quare pro novo stimulo addendo & excitando Zelo, eadem decreta anni quinquagesimi primi denuò repetenda mandavit; quare omnes ac singuli diligenter attendant, & decretorum hujusmodi observationem in locis sibi conceditis procurant, pro ut ætememorata Illustrissima S. Celsitudo in virtute sanctæ obedientiæ omnibus & singulis præcipit.

Post hæc Secretarius Synodi accessit suam Celsitudinem, petens, num placeat legi decreta illa.

Respondente sua Celsitudine, placet, ascendit ambonem & perexit in lectione decretorum, incipiendo à decreto ordine tibi nono quod habetur supra folio 304.

Notandum quod S. Celsitudo pro suo Zelo & executione faciliori impetranda, quasi post singula decreta, explicationes, admonitiones, interlocutorias

Episcopales orationes, minasque in contumaces respectivè cum singulari fervore subjunxit, hincque typo ad cleri continuam notitiam inseri mandavit.

Sequuntur dictæ admonitiones ad decreta anni quinquagesimi primi.

Ad DECRETVM IX & X.

**A**Vdivistis Charissimi, qualem Nos nomine Altissimi de talentis vobis conceditis, de ipsorum custodia, de vestra negotiatione dum absentes fuimus, factâ; qualem, inquam, rationem à Vobis exigere debeamus. Vnde nova Vobis confidere, nova, inquam, decreta dare non volumus sed an priora impleveritis mandata, nunc exquirere: quia illi multa committenda non censemus, qui in paucis legem implere non contendit.

Proinde vos Pastores denuò cohortamur in Domino, ut pro hac temporum necessitate, quo grassanti undequaque hæresi fortius resistere, ac Vos murum pro domo Dei opponere possitis, ut fidei controversiis, Bibliis aliisque sacris literis ac libris diligentius in posterum studeatis, ne ut nonnunquam accidit, & Vobis & Ecclesiæ Dei confusioni, & aliis scandalo sitis, si in conversationes cum Hæreticis, præsertim Prædicantibus, quorum tamen consortium, quantum salvis regulis humanitatis fieri potest, fugere juxta sacros canones tenemini, deveneritis. Vnde omnes computationes, conviviaque cum iis vobis interdicta sint, cum exempla non desint alterationes, injurias, verberaq; intercedere posse; illi tamen quibus conversatio concessa est eâ moderatè discreteque utantur, ut cum ædificatione proximi fructuque factam gloriari possint: pro ut vobis in congregatione Synodali, in residentia Nostra Episcopali, statim in restitutione Episcopatus Nostræ, ex manibus hostium Imperii habitâ 12 Decembris anno 1650 plenius explicavimus ac injunximus.

Ad DECRETVM XI.

**D**iversi Pastores se è Catechismo excusare nituntur, sub prætextu quod pauci ad lectionem catechetica accedant, cum vero id negligentia Pastorum potius ascribamus. Hinc tertio post hæc Catechismo invigilent, & officio suo etiam in paucis instruendis satisfaciant, ubi vero negligentia Parochianorum in non mittendo pueros deprehensa fuerit, Dominos temporales adeant, aut ad Nos etiam pro seculari brachio recurrant. Et si Laici



Laici in hoc præstando morosi sint ad Nos deferant. Sed cavete mihi afferatis excusationum vestrarum inania, dicatisque vel deesse Vobis tempus quod huic curæ insumatis, eamque nimium esse difficilem ac molestam, pueros etiam non venire. Expectat Christus Samaritanam solam Ioan. 4. priorque venit ad puteum, sedebat sic supra fontem: propter salutem unius etiam animulæ laborandum vobis est & negotiandum. Magnus ille Archiepiscopus Genevensis Franciscus de Sales (qui ante paucos annos sanctissime obiit, & de cuius beatificatione jam apud sedem Apostolicam instanter agitur) hoc exemplum secutus cum suam Diocesim visitaret, & nonnunquam unicum hominem (plurimi enim sunt Hæretici) in Ecclesia offenderet, integram concionem dixit, suosque Parochos docuit, tantum propter pietas & salutem à vero Pastore nullum laborem ac studium etiam maximum negligendum vel omittendum.

Prætere a audite charissimi: non frequentant templa infantes, quia tu sacerdos ibi non reperiris; non autem ibi reperiris quia non veniunt illi; unde committitur illa errorum vicissitudo. Verum si querere velimus cuius interfuerat ire prius, tuas profecto partes esse constabit, sustines enim ipse regimen eorum, omnisque cura tibi est demandata. Est quidem culpa eorum si te non sequuntur, sed major tua, qui minime præis, neque te ducem eis præbes: ut Vobis in Nostro Synodali sermone Mense Martii 1652. pluribus exposuimus, huncque laborem tam necessarium Vobis commendavimus.

#### Ad DECRETVM XII.

**C**vm aliqui præterdant libros Catholicos deesse, & haberi non posse, Nos eos procurabimus, modo ii qui eos desiderant, ante abitum sub manu, numerum & qualitatem Nobis eorum librorum, quos desiderant, explicent, atque Cathedralis Ecclesiæ Nostre Vicario Theodoro Hülshorst, ad id specialiter à Nobis deputato consignent. Quantum vero momentum æternæ salutis, & vestræ & aliorum vobis commissorum dependeat ex hoc & superiori decreto, pro dolor, paucos videmus considerare, nedum exequi; quare per viscera misericordiæ Dei vos hortamur mandamusque, ut hoc & præcedens ac subsequens decretum omni diligentia impleatis sanctoque Zelo studeatis.

#### Ad DECRETVM XIV.

**M**agnum in hoc decreto defectum reperimus, cum plurimi necdum comparaverint sibi Synodos Nostras jam à triennio impressas, ritualia seu agendas, Martyrolo-

gium, propria sanctorum tam Missalis quam Breviarii, directoria etiam ac Calendaria, multo minus libros Cantionum, Gradualia, Antiphonalia, ut vocant, & alios germanicos hymnorum, item Catechismos, quorum tamen magna pars sumptu Nostro non exiguo in promptu est, & si à Parochis, qui in Ecclesiis necessarii sunt, designentur, haberi poterunt.

Hinc volumus ut quilibet in iis sibi procurandis se magis exhibeat obedientem, & officio suo satisficientem, ni poenis subiacere velit severioribus.

At excusant se aliqui ratione mediorum illos comparandi: & illi quidem præcipue qui vel potitando sua consumunt, vel avarè corradendo conservant, vel illicitis impendunt: neminem in hoc excusatum habere possumus vel volumus; ex his officium nostrum totum dependet, aliorumque & pietas & salus. Nec omnia & singula vobis vestris impensis veniunt curanda, sed fabricarum Ecclesiarum, quarum si tenues sint redditus, piorum collectis vestra diligentia supplendum erit, vel etiam ad Nos pro remedio deferendum; quod facile inveniemus apud quosdam Pastores & Provisores, qui redditus illos Ecclesiarum abliguriendo libentius consumunt. Omnino huius decreti executionem Decanis ac Camerariis singularum decanatum seriò demandamus. Volumus etiam ut omnes & singuli hic præsentés coram dicto deputato Nostro Theodoro Hülshorst ante finem Synodi doceant, an & quales ex prædictis libris jam habeant, ut deficientes suppleri possint.

#### Ad DECRETVM XV.

**S**eriò denuò inculcandum, quia magnus notatur defectus plerumque in locis ubi Pastores ipsimet fordidus sunt; E contrario ubi Pastores diligentes morantur, etiam in paupere Ecclesia nitor apparet, ac dilectio decoris domus Dei: Armaria quoque decencia fiant in quibus sacra suppellex afferretur. Si, quæ aliqui malæ notæ personis pessimè impendunt, Ecclesiæ pauperi applicarent, non dubium quin hic laudem, & in cœlis thesaurum sibi procurarent.

#### Ad DECRETVM XVI.

**M**iramur nonnunquam qua fronte & qua conscientia, multi dies esuriales & abstinentiæ etiam in hac civitate sine ulla apparenti causa prævaricentur, cum, laus Deo, quæ ad victum pertinent tolerabili pretio haberi possint. Suam itaque Pastores & Clerici in eo demonstrent diligentiam, ut hic defectus eradicetur: Caveant verò, ne, quod absit, pravo exemplo suo, ut factum etiam hic in civitate non adeo diu esse, audivimus, Laicis sibi commissis, aut aliis ad labores conductis

ruinæ



ruinæ spiritualis hac in parte occasio sint, scandalumque præbeant & ipsimet peccent.

*Cum sanctissimus Dominus N. Papa Urbanus VIII circa S. Ioannis Bapt. Nativitatis, Vigiliæ jejunium, si in festo sanctissimi Corporis Christi occurrat, decretum publicavit de illius observatione, hinc nos illud hic publicandum volumus.*

*Quo dicto lectum est per Secretarium Synodalem dictum decretum, ut sequitur.*

## D E C R E T U M

## S. RITUUM CONGREGAT.

*De non jejunando in vigilia S. Ioannis Baptiste, quando contingit die solennitatis Corporis Christi, die 24 Septembris anno 1638.*

**C**um anno proximè venturo 1639 vigilia S. Ioannis Baptiste incidat in diem solennitatis corporis Christi: Fuit à pluribus locorum Ordinariis supplicatum Sanctissimo pro declaratione, quid agendum

de jejunio eo die præscripto. Et supplicatione per Sanctitatem suam ad Sacram Rituum congregationem remissa, eadem S. Congregatio re maturè discussa, censuit: Non esse jejunandum neque abstinendum à carnibus, in festo solennitatis corporis Christi, sed anticipandum jejunium die antecedenti, nempe feriâ quartâ, pro ut jejunaretur in ipsa vigilia: Et videri eidem S. Congregationi, quod Sanctitas Sua, si ita placuerit, præciperet super hoc expediri Breve pro perpetuis futuris temporibus, quando idem casus contingerit: Et factâ per me Secretarium relatione de præmissis Sanctitati Suae, Sanctitas Sua sententiam S. Congregationis laudavit, & Breve pro toto orbe expediri mandavit, pro ut expeditum fuit. Tenoris ut sequitur.

*C. Epif. Portu. Card. Pius.*

Loco + sigilli.

*Iulius Cincius Secret.*

## V R B A N V S P A P A V I I I.

*Ad perpetuam rei memoriam.*



**C**um evenire quandoque possit, ut vigilia S. Ioannis Baptiste, in diem festum solennitatis Sanctissimi Corporis Domini nostri Jesu Christi incidat. Nos attendentes diem festum huiusmodi, quo tanti sacramenti institutio, summâ totius populi Christiani lætitiâ recolitur, è principalibus anni festivitatis existere, propterea de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris actibus præpositorum consilio, deinceps perpetuis futuris temporibus, quoties vigiliam prædictam, in dictum diem festum solennitatis Sanctissimi Corporis Domini nostri Jesu Christi incidere contingerit, non esse jejunandum, neque à carnibus abstinendum in die festo huiusmodi, sed anticipandum jejunium die immediate antecedenti, nempe feriâ quartâ, pro ut jejunaretur in ipsa vigilia: Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus & ordinamus: In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Volumus autem ut præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem sub annulo Piscatoris die 13 Octobris

anno M D C XXXVIIII. Pontificatus Nostris anno decimo sexto.

*M. A. Maraldus.*

Romæ ex Typographia Rev. Cam. Apostolicæ M D C XXXVIIII.

*Deinde perrexit Secretarius in statuis relegendis.*

## A D D E C R E T U M X V I I.

**O** Auditores, hoc magnum est & maximæ considerationis, ut scilicet Pastor, cujus est Sacramenta administrare, meminerit, se sancta tractare, omnique temporis momento paratum esse oportere ad tam sanctæ administrationis munus: Quæ ergo vitâ castâ, purâ, sobriâ, & religiosâ esse debet, mentemque ipsam ab omni labe peccati immunem adju-trice divinâ gratiâ conservare? Nam et si sacramenta divinam quandam virtutem quæ ipsis inest, nunquam amittant, tamen impure ea ministrantibus æternam mortem afferunt. Quacunque diei vel noctis horâ ad sacramenta ministranda vocaris, ô Pastor, ô Sacellane, nullam tam sanctis pietatis officii moram interponas, (munus enim hoc tuum est, cujus causa ab Ecclesia, & populo sustentaris.) Sed, ô Pastores, quam multi vestrum sunt qui cum vocantur, vel vultu, vel verbis, vel alio signo non ostendant se gravatè ituros? Non desunt forsân etiam, qui se vel

v E e

excu-



excusent, vel differant ire, causantes periculum non subesse, & similia, tantum ut suæ commoditati studeant. Interim ægrotus angitur, sine ullo solatio moratur & moritur. Pastor ovem centesimam non quærit: Nec mirum, cum neq; nonaginta novem, sed se & sua tantum curet. Non sic, non sic Auditores, hilari vultu caritatem paternam prompti paratique omni momento inclamati filio exhibeamus: non illos Sacerdotem & Levitam Luc. 10. qui pertransierunt hominem qui in Latrones incidit, immites, semivivo ipso relicto, sed potius Samaritanum imitemur, qui curam illius non uti Pastor, sed uti proximus in se vera caritate suscepit. Sequamur exemplum Christi Domini Matth. 8. qui, cum puerum Centurionis absens sanare poterat, nec vocatus fuerat ut descenderet, dixit, veniam & curabo eum. Ita, ita officium vestrum exhibete Charissimi.

#### Ad DECRETVM XVIII.

Sacramentum extremæ unctionis tametsi singularem habeat animæ & corporis effectum, nihilominus in nonnullis locis admodum raro confertur: Quare monemus omnes serio ut conentur pro viribus & omni studio hujus sacramenti usum suis commissis inculcare, & illud ultro non petentes, ad id suscipiendum ex officio charitateque Christiana, ac præcepto Ecclesiæ disponere.

Præterea quæ hic de sacramento Confirmationis lecta sunt nec à Nobis, nec à Suffraganeo Nostro Reverendissimo D. Casparo Episcopo Aureliopolitano, nunc in Domino defuncto, hæcenus observata fuisse, libenter fatemur: Contulimus tamen Nos ipsi, licet tanti muneris exequendi indigni, diversis in locis hujus Diocesis Nostræ, anno 1651 & 52, sed cum eodem hinc ad Ratisbonensem nostrum Episcopatum perrexerimus, præfatusque Suffraganeus Noster Coloniae æger decubuerit, & anno 1654 in Domino ibidem obierit, culpam hanc, quæ in Nobis tanta non fuit, in posterum diligenter statis temporibus compensare studebimus; præsertim cum Sanctissimus Dominus Noster Alexander Papa septimus alium ad Nostram nominationem Episcopum Aureliopolitanum creaverit, eundemque Diocesi huic Suffraganeum concesserit Reverendissimum D. Egidium Geleonium, SS. Theologiæ Doctorem, Præpositum Cranenbergensem, & Canonicum Scholasticumque Ecclesiæ S. Andreae Coloniae. Vos interim vestrum præstare officium in explicando hujus sacramenti virtutem, institutionem, ritumque debite illud suscipiendi.

#### Ad DECRETVM XIX.

Parochi quibus Parochiæ Hæreticæ suis vicinæ commendatæ, peractâ Synodo

statim inquirent, num aliqui in gradibus prohibitis sine dispensatione à Nobis, aut Vicario Nostro impetrata copulati. Intelleximus etiam quosdam ex Nostris Parochis personas nonnunquam Vulgares in domibus privatis sine proclamationibus matrimonio jungere; quod ipsum cum Canonibus Metropolitanis, & synodalibus statutis contrarium sit, gravibus posthac poenis subjacebunt si qui deprehensi fuerint.

#### Ad DECRETVM XX.

Inveniuntur adhuc nonnulli, qui in cærimonis Missæ sæpe vacillent, gestulationes & genuflexiones non usitatas nec necessarias exerceant; festa etiam secundum directorium Nostrium Calendariumque Osnabrugense non servent, minus alios servari faciant. Hos monemus ut se ad cærimonias juxta præscriptum Missalis Romani accommodent, & festorum observantiam juxta directorium curent, & apud alios procurent.

Præterea sane in hoc magnam experimur negligentiam, cum juxta priora nostra decreta Synodalia Sacerdotes ac Parochi negligentiores reperiuntur, qui vel rarius sacrificium illud tremendum ac incruentum peragunt, vel rarius confessionis sacramentum adeunt, minus scedas & testimonia menstruè suis Decanis in scripto mittunt: Quæ omnia cum sint contra foundationes, obligationes, decreta Synodalia sacrosque canones, severius in tales in posterum inquiremus, & in delinquentes animadvertemus: Monentes & in virtute Sanctæ Obedientiæ mandantes Decanis, ut ad hoc melius invigilent, menstruèque præfata testimonia exigant a singulis de Clero sibi concredito, ac ad manus Nostras proprias, vel in absentia ad officialem Nostrium transmittant, nisi & ipsi Nostram indignationem experiri velint.

#### Ad DECRETVM XXI.

UT hoc facilius facere possint, licet Bulla Cænæ Domini, Casus etiam alii tum sedis Apostolicæ, tum Episcopo reservati, in Rituali Nostro seu Agenda Diocesis clare & exacte poni curaverimus; tamen ut adhuc melius curati instruantur, pro eorum commoditate separatim talium designationem imprimi faciemus, in confessionalibus vel sacristia affigendam.

Ut autem Regulares præsertim exempti, qui à sede Apostolica magna obtinuerunt privilegia, sciant etiam se vigore cujuscunque privilegii à talibus casibus præfatis papalibus absolvere non posse, binas declarationes novissimas Urbani Papæ VIII desuper emanatas observari mandamus.

*Hæc omnia reperies in fine hujus Synodi fol. & sequentibus sub literis A. B. C. D. E.*

Ad



Ad DECRETVM XXIII  
& XXIV.

**M**irum Charissimi non est, talia peccata nimium pro dolor in hac patria vigere; quia multi eorum qui corripere deberent, curamque animarum habent, proximis mala exempla monstrant, Nobisque pro debita correctione non indicant; itaque simul suam conscientiam valde gravant, rationem & Deo & Nobis strictam reddituri.

## Ad DECRETVM XXV.

**C**um deprehenderimus à quibusdam pro præsentatione ad beneficia ac Pastorum certam pecuniæ summam non sine gravi peccato & Simonæ labe exigi: Hinc singulos monemus ut pro præsentatione aut collatione ad curata vel non curata beneficia cum nemine de certa pecunia, aut alia compensatione contrahant, scientes, quod si fecus fecerint eo ipso ad beneficia inhabiles fiant, & utraque pars una cum Mediatoribus gravissimis censuris innodetur, etiam Pontifici reservatis, & ad fructuum restitutionem teneantur, nec non jure præsentationis aut alio sibi competenti, pro illa vice cadant.

## Ad DECRETVM XXVI.

**N**olumus de hoc cæno pluribus loqui, vel de eo amovendo ultra priora Nostra statuere possumus. Quandoquidem vero aliqui de occulta hujusmodi coinquinatione suspectos se faciunt, eos ad tribunal DEI, cui omne cor patet, omnis voluntas loquitur, & nullum latet secretum etiam quod in abscondito fit, remittimus: Curabimus tamen & Nos diligentius inquiri, domos etiam per Laicos visitari; prioraque Nostra decreta de hujusmodi scortis ad catasta applicandis, & patriâ proscibendis; præterea Sacerdotes & Ecclesiasticos peccantes ulterius beneficiis privandos, serio exequi faciemus.

Vos vero Confessarios, qui tales absolvitis, officii vestri, juxta Canones & decretorum Nostrorum commonefacimus, vestrasque conscientias oneramus: Præcipue vero illorum, qui cum in eadem vivant culpa scandalosi, alios similes in confessionali sacrilege audiunt, & absolvere tentant: Et quid de his dicemus qui tales Confessarios quærunt; nisi quod mulus mulum scabat: & quam spem emendationis tales de se reddunt, imo quam spem salutis habere sibi possunt? Breviter; utriusque in posterum attendemus diligenter; & serio eos emendabimus, ne in Nos ipsos ira Dei provocetur.

## Ad DECRETVM XXVII.

**I**ndignamur merito inobedientiam, cum præcipue in beneficiis simplicibus provisi

instituantur, nec Nobis etiam postea de provisione aut qualitate fidem faciunt, vel provisi vel institutores.

Hinc merito serio hoc decretum repetimus, in contumaces tam institutores quam ipsos provisos certo animadversuri poenâ arbitrariâ. Idem etiam facturi contra eos, qui suorum beneficiorum quot, & quæ possident designationem ante proximam Synodum Nobis non tradiderint, pro ut ultimus §. hujus decreti præcipit.

## Ad DECRETVM XXVIII.

**M**agnum, inquit S. Ioannes Chryso-  
stomus, magnum quiddam dilectissimi, est Ecclesiæ Prælatio, & quæ multâ indiget sapientiâ ac fortitudine. Tantum hoc quæso Prælati, Præpositi, Decani aliique cogitate, quam ardua res sit Ecclesiæ prælatio: quæ non tantum in dignitate aut majoribus redditibus consistit, sed quanto major est prælatio, tanto major unicuique est reddenda ratio. Bono exemplo, caritatis Zelo, singulari sollicitudine, maximâ curâ in sibi commissos opus est; ne ex Prælatiis fiant tantum elati, & pascant semetipsos, neglecto grege. Certe tales potentes potenter tormenta patientur.

## Ad DECRETVM XXIX.

**A**rchidiaconi Nostrum hoc decretum bene considerare, suamque commissionem examinare debent, ne & suas & aliorum conscientias ulterius aliqui gravent: Zelus domus Dei & animarum nonnunquam & in his & in illis deest, cum scilicet cupiditas prædominatur, & emunctio tantum quæratur. A multo tempore nostri regiminis, vix recordamur, ullam ab iis ad Nos factam relationem, pro ut obligati sunt, licet gravissimos nonnunquam casus, præsertim belli licentiâ contigisse dubium vix esse possit. Imo ab ipsis multa contra canones Concilii Trident. suamque commissionem non sine læsione & suæ & aliorum conscientiarum, attentantur. Sunt & alia circa quæ propediem cum illis tractabimus. Interim eos per misericordiam Dei in hoc confes-  
sibus exhortamur, ut officium suum per se suosque ita peragant, quatenus nec Nos de ipsorum promotione, nec ipsi de tanti officii susceptione damnari à Domino, sed remunerari potius in cælo mereamur.

## Ad DECRETVM XXX.

**E**xpectamus similiter crebriores relationes à Decanis ruralibus, ut ad minimum singulis trimestribus, seu quatuor temporibus, ad Nos vel vicarium Nostrum statum sui Decanatus, Ecclesiarum & personarum commissarum exactè transcribant: Et Ecclesiasticorum mensuræ saltem confessionis testimonia diligenter transmittant, cum infertione



tione diei & loci, & subscriptione ipsius Confessarii propria manu & sigillo.

Ad DECRETVM XXXI.

**M**Ajorem requirimus à Parochis diligentiam, præsertim quibus ante hac inspectionem vicinarum Parochiarum hæreticarum, ut de iis æquè ac propriis solliciti sint, & de conversis, communicantibus ac numero animarum Nobis rationem reddant, commisimus ac commendavimus. Quem in finem peractâ Synodo præsentibus adhuc Parochis, distributio ante hac facta revidebitur, & ulterior commissio dabitur.

Ad DECRETVM XXXII.

**R**estant adhuc aliqua testamenta tempore belli condita, quæ necdum executioni demandata, nec rationes redditæ; ideoque monentur Executores ut sub pœnis à jure, statutis Metropolitanis & Synodalibus Nostri latis satisfaciant, vel saltem de absolutione aliunde licite obtentâ intra mensis spatium coram Nobis vel officiali Nostro canonice doceant, in posterum vero annus executionis accurate sub iisdem pœnis observetur.

Ad DECRETVM XXXIII.

**M**onemus omnes Beneficiatos ut in conservandis aut recuperandis bonis suis non tam sint negligentes aut pusillanimes, ut si quid à Laicis patiantur, contradictioni statim animum abjiciant.

Ad DECRETVM XXXIV.

**M**agna quoque in hoc deprehenditur negligentia, cum vix ullæ copiæ fundationum ad consistorium Nostrium missæ fuerint. Quare mandamus sub pœna viginti aureorum omnibus & singulis, ut ab hac die usque ad aliam Synodum fundationes originales (si vero haberi non possint) vidimatas Nobis copias exhibeant, ac tradant. Curandum etiam ut immunitates tam locales, quam reales & personales Cleri serventur, ideoque laicæ personæ, ac præcipuè cives non tam facile ad immunitates admittendi sunt, ne cum illis immunitas patiatur.

Ad DECRETVM XXXV.

**T**ria hic continentur, ut juste, sobrie ac piè vivatis, juxta doctrinam S. Pauli ad Titum 2. Iustitia enim exigit ut in sortem Domini vocati ac electi, & qui de rebus Ecclesiasticis, patrimonioque Christi, & ab omni levitate sæculari abstracti vivunt, à reliquo populo distincti habitu & moribus se tales esse ostendant, ne in eos jure dici possit: Amice quomodo huc intraisti non habens Ve-

stem nuptialem? & ad hoc ipsum solitudinis Nostræ obtutum merito dirigimus; sacris canonibus obligati, justitiâ vincti, exemplo aliarum Diocesium reformatarum excitati, & in hac etiam Nostra non solum Prædecessorum in hoc, pietate inducti, verum etiam Nostro sub regimine anno 1628 & sequentibus obedientia vestra recreati. Sed quos jam videmus inter vos? Dolemus conspici inter vos barbibus incultis luridos, capillitio deformes, habitu vel nihil vel parum à Laicis discrepantes, nulla etiam tonsura insignitos. Suspiciamus juvenes quosdam vanitati ac novitati vestium, & capillorum longitudini ac comptioni studentes, circinulos agere, nec à Prælatibus, quorum tamen curæ est, corrigi vel corrigi, nobisque occasionem præbere, ut Nos ipsi Nostri officium in admonendo corrigendove tandem facere debeamus: Quare noviteris si quis in posterum in habitu clericali decenti & tonsura non inveniatur; privilegiis Cleri, forique ac præminentis minimè sit gavivus, nec apud Nos, quicumque sit, & alios ut Ecclesiasticus habendus, sed inter Laicos numerandus, tanquam Clero imponens, adhibitis etiam pœnis: Nolumus enim ut cum religionis dedecore, status Ecclesiastici despectu, Dei contemptu & propriæ salutis dispendio, de cætero abutantur: non obstante quavis prava consuetudine, hoc tempore belli introducta, dum inimicus homo zizania superfeminavit, aut aliorum locorum abusu & corruptela, quæ jura canonica abolere non potest, aut censuras pœnasque infringere. Cogitate quæso heterodoxæ fidei æmulorum in hoc majorem observantiam, & apud suos reverentiam: unde volumus ut ad ipsorum distinctionem de cætero nemo breviori utatur tunica, quam ultra genua duos saltem digitos promanante, atque circa lumbos pro antiquo more cingulo ligata, ni pœnis subjacere velit.

Ad sobrietatem quod attinet, si quis in popinis deprehendatur, aut commestationibus ac comotationibus nimium indulgeat; cum per hoc Cleri respectus lædatur, domus Dei & animarum cura negligatur, indignationem Nostram & seriam animadversionem se non evasurum, sentiet: Tabaci usum præter necessitatem sanitatis, etiam ante hæc vetuimus, præsertim quacunquæ ex causa ante sacrificium Missæ, vel sacram communionem. Ad Nos etiam perlatum est talem usum fieri vel ab Ecclesiasticis, vel à Custodibus ministris, in ipsis nonnunquam Ecclesiis vel Sacrariis: tales sciant id ratione loci ac temporis omnibus etiam Laicis ab Urbano VIII, sub pœna excommunicationis prohibitum. Ecclesiasticos, qui eo opus habent, nolumus ut cum Laicis vel inter se, per fistulas comotando, & ad mensuras æquales provocando, sed in suis cubiculis



biculis privatim moderatè utantur, alias se poenis irremissibiliter subijciendos sciant.

Pietatem vobis commendari debere dolemus, præsertim quibusdam horarum Canoniarum recitationem: cum hoc fundamentum sit vocationis Vestrae, vitæ vestrae, imo salutis vestrae.

## Ad DECRETVM XXXVI.

**P**Vdet nonnunquam intrare Ecclesias tam sordidas, quam vix ulla domus: dolemus etiam tabernaculum ubi Sanctissimum Sacramentum asservatur, in multis Ecclesiis non clausum repertum fuisse; quod revera parvam in Deum pietatem ac reverentiam demonstrat; sicuti etiam quod nonnemo idem Sanctissimum Sacramentum in corporali asservet, vel ad ægrotos ita deferat, cum tamen pixide parvâ argenteâ includi debeat. Et quid mirum si minor cura fontis baptismalis, qui semper clausus esse debet, Sacrificiæ, & totius suppellectilis Ecclesiasticæ appareat. Pudeat vos de talibus toties debere moneri. Vnde si quando in transitu aut alias inopinatò sordes hujusmodi à Nostris deprehendantur, caveat sibi quisque à noxa. Idem dicimus de cœmeteriis, quæ ut à bestiis immunia sint, debite claudantur.

## Ad DECRETVM XXXVII.

**V**Nicum restituendæ & conservandæ religionis medium est, recta juventutis in pietate & moribus instructio, & nihil ferè quod magis amorem Parochis conciliet, quare in eo ante omnia omnem operam collocent, ut si ipsi, exemplo multorum piorum ac Zelosorum Pastorum, ipsi pro vitando etiam otio juventutem instruere velint, ubiq; Scholæ instituantur, nobisque media suggerant implorato etiam brachio sæculari; quia nemo tam crudelis erit in suos, sive in sibi commissos, ut eos non cupiat piè & Christianè educari.

Ad DECRETVM XXXVIII  
& XXXIX.

**R**egulares quanto magis perfectionem profitentur, tanto cautius ambulent, præcipuè cum ad Laicos divertunt, & ii maxime qui ad eleëmofynas conquirendas emittuntur,

& se à socio nonnunquam dies integros noctesque separant, ut tunc eò magis Evangelicæ perfectionis signa ostendant, & bonum conversationis suæ odorem post se relinquunt, cum nil magis Laicorum animos offendant, quam dum eos quos Magistros vitæ & morum venerantur, exempla de se pravitate relinquere vident. Quare superiores singulorum Conventuum hujus Nostræ Diocesis serio monemus, imo, ut in similibus, Sedis Apostolicæ delegatis, in virtute Sanctæ obedientiæ mandamus, ut suis hæc serio inculcent, ne nos in tales delinquentes severius quid statuere cogamur. Similiter etiam petimus, ut superiores vicinorum conventuum extra diocesin Ordinis sui, imo & ipsos Provinciales moneant, ne pro colligendis eleëmofynis suos ad hanc diocesin mittant, nisi quibus antiquitus per Prædecessores Nostris & Nos indultum dignoscetur; & tales eligantur, qui se Religiosos ubique verbo & exemplo præstent; nisi aliter vagantes Nostram indignationem, meritasque poenas experiri velint.

*Quæ vero bullæ Gregorii XV, & Innocentii X, hic memorantur, ad longum typis dari huicque Synodo ad finem inferi faciemus.*

*Bullas has invenies sub literis F & G.*

## Ad DECRETVM XL.

**H**Oc decretum tanto accuratius observandum, quanto periculosius inter Hæreticos, qui semper libertati Ecclesiasticæ insidiantur, in hac diocesi habitamus. Catholici insuper noverint, se in excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini incidere, si immunitatem hanc Ecclesiasticam violent.

*Peracta hucusque decretorum lectione, & latiori eorundem explanatione ab Illustrissima S. C. insertâ, Secretarius Synodi descendit ex suggestu, & cum instaret hora duodecima interrogavit Illustrissimum num placeat indici finem hujus Sessionis secundæ? Respondit Illustrissimus, placet, indicatur tertia Sessio habenda post prandium horâ secundâ.*

*Secretarius deinde suggestum ascendit, indicxit finem hujus Sessionis, & tertiam ac ultimam ad horam secundam pomeridianam futuram. Post hæc Promotores Synodi insisterunt contra contumaces, reliquaque ut in prima Sessione peracta fuerunt, nec non totus Clerus denovo ad mensam Illustrissimæ S. C. ut pridie invitatus fuit.*



## SESSIO TERTIA.

**A** Prandio horâ primâ denuo majori campanâ Cathedralis Ecclesiæ, ad spatium mediæ horæ ad Synodum signum datum fuit. Illustrissimus horâ secundâ decantatis prius versis, cum suis petiit ad Ecclesiam, & more solito à Venerabili Capitulo suo ad fores exceptus fuit. Processit deinde ad chorum, & thronum in eo sibi præparatum, induit se stola, pluviali & myrra. His sacris paramentis indutus, assumpto baculo pastorali descendit ex throno, & consistens ante altare majus, postquam Diaconus Synodalis facie ad Clerum versa cantavit, Orate, subjunxit antiphonam, reliquaque omnia ut in tertiâ Sessione

Synodi quinta fol. 308. peracta fuerunt.

In loco Synodali factâ ab Illustrissimo ad Clerum allocutione: Venerabiles & dilectissimi fratres, &c. ut in Pontificali; tertiam partem sermonis Synodalis subjunxit; duo scilicet fundamenta quibus illa media assequi, ac utiliter practicare possimus, nempe timorem Dei & Zelum proximi, quæ latius explicavit.

Finito sermone Synodali Secretarius Synodi genuflexus petiit an placeat Illustrissima S. C. legi decreta nonnulla, quæ specialiter pro hac Synodo ad usum Cleri consecuta fuerunt.

Annunte Illustrissimo, Secretarius ascendit suggestum, & publicavit decreta sequentia.

S E Q U U N T U R  
D E C R E T A S P E C I A L I A  
H V J V S S Y N O D I

D E C R E T U M P R I M V M.

**M** Erito dolemus, sicut in sacrificio Missæ celebrando diximus, difformitatem rituum ac cærimoniarum: ita etiam in habendis concionibus eam non observari à divini verbi Præconibus uniformitatem in rituali seu agenda Nostrâ præscriptam, quam omnino sub pœnis sequendam singulis denuo præscribimus, ac etiam Religiosos, ut eam pro populi ædificatione, suoque debito observent, monemus: si qui etiam Religiosi extranei ad munus concionandi debite admitti transeundo forsân dicturi sint ex cathedra, prius à Parochis Rectoribusque Ecclesiarum, desuper moneantur ac instruantur.

D E C R E T U M I I.

**N**emo post hac tam in Civitate Nostrâ quam extra, funus Catholicæ defuncti alio modo deducat, & terræ mandet, quam in Agenda Nostrâ præscribitur, aut Nos ulterius ordinabimus: pro ut etiam de A catholicorum sepulturis statuemus.

D E C R E T U M I I I.

**C**um idem defectus notatus fuerit in nuptiis celebrandis, & in Matrimonii sacramento administrando, idem volumus, ut scilicet in rituali Nostrâ desuper ordinata, atque in Synodis præcedentibus constituta ad amissim serventur. Præterea ob innumeros

abusus, quos in Nostra Diocesi irrepisse, & ulterius serpere intelligimus, volumus ac mandamus, ut diebus Dominicis ac festivis nulla sponsalia, matrimonia, aut baptismi nisi infantum revera ægrotorum, à Parochis admittantur, benedicantur aut administrantur, sed in alios dies differantur. Experientia enim docet per similes solemnitates diebus sabbatinis aut vigiliis præcedentibus abstinentias jejuniæque non observari: ipsis Dominicis ac festis manè divinum officium ob adornandas pompas & convivia negligi, totosque dies ad pietatem cultumque divinum institutos commellationibus, comotationibus, scurrilitatibus consumi, iramque Dei provocari: Si tamen, ut dictum est, urgenti necessitate baptismus tali die administrandus sit, omnia convivia prohibita, & in alterum diem rejicienda, mandabimus Nostris decretis specialibus politica spectantibus, cum de his agendum hic non sit.

D E C R E T U M I V.

**V**T copia rationum Ecclesiæ singulis annis à singulis Pastoribus ad Nos vel Vicarium Nostrum mittatur, ne bona dilapidentur, Nobisque status, bonorumque Ecclesiasticorum dispositio constet. Percipimus enim in aliquibus locis ultra 10, 12, & plures annos nullos computus præstitos, quod tantum negligentia Pastorum, qui debite urgere, & eos quorum interest monere deberent adscribendum



dum venit. Quare in posterum negligentes sine remissione multatos se sentiant.

DECRETVM V.

*Declaratorium super sensu juramenti Pastoralis.*

Cum etiam in hac Synodo circa interpretationem juramenti pastoralis, quod anno 1628 in Synodo Noltra majori par. 2. cap. 10. publicatum fuit, in verbis §. ultimi. *Frustrum anni, &c.* Item circa distributionem missionum, si quando Pastorem ante ejusdem solutionem, ex hac vita discedere contingat, dubia ab ipsismet Pastoribus mota sint; Illustrissima S. C. auditis rationibus dubitandi, praemisso per Decanatus scrutinio, re mature discussa, de consilio Pastorum, has quaestiones ita decidendas aestimavit. Ac primo quidem; quod si Pastorem, qui agros conseminavit, ante festum S. Iacobi mori contigerit, fructus usque ad S. Martini festum pro deservitura obligati sunt. Quod si vero post S. Iacobi festum mors contigerit, antequam agri conseminati sint, idem quod supra observetur: si vero agros jam conseminaverit, pacifice inter Executores & successorem habita ratione expensarum & onerum, nec non agrorum conseminatorum, super deservitura vel ad festum Paschae aut S. Iacobi conveniatur, aut ad Nos vel Officiale Nostrium recursus habeatur. Iura stolae vero subito ad adventum & deservituram Successori indistincte debeantur.

Alterum dubium circa Missaticum etsi id peritque in locis in fine anni circa festum Nativitatis Domini solvatur, ideoque durum videatur, ut is qui majori forte anni parte servivit, si tamen illum diem solutionis non supervivat, omni emolumento careat. Hinc de unanimi Pastorum consilio visum fuit expedire, ut pro rata anni seu deservitura inter defuncti executores, successoremque juxta regulas aequitatis dividatur. Ideoque auctoritate Noltra ordinaria praesentibus edicimus ac mandamus, ut in posterum supradicto modo difficultas haec determinata ac decisa sit & maneat, & secundum hoc omnes Nostri Iudices & Officiales procedant.

DECRETVM VI.

*De Regularibus.*

Cum etiam Regulares teneantur sub certis poenis publice legere aliquot decreta S. Congregationis ad ipsos spectantia, & quidem statutis temporibus per annum, ut illi facilius & commodius ea habere possint, placuit ea huic Synodo inferere, & succincte per capita praelegere: Vt autem ipsum tenorem totum habere possint, typo similiter huic

Synodo jungi curabimus; monentes interim omnes, & singulos ut Apostolicis mandatis, pro ut obligantur, satisfaciant.

Primum est. Constitutio Clementis VIII de largitione munerum, cum ejusdem confirmatione & declaratione facta ab Urbano VIII, sub poena privationis officii, vocisque tam activae quam passivae, Mense Januario legenda. *Vid. infr. sub lit. H. I.* secundum. Constitutio Urbani VIII de celebratione & onere missarum susceptarum, ne ex earum multitudine animae defraudentur sub certis poenis pro feria secunda post Dom. Adventus, ac feria sexta post festum Corporis Christi.

Decreta pro reformatione Regularium tam Monachorum quam Mendicantium cujusque Ordinis & instituti Clementis VIII. *Sub lit. L.*

Decretum ejusdem super casuum reservatione ab omnibus Regularibus superioribus observandum. *Sub lit. M.*

Ejusdem decretum super forma recipiendi Novitios Regularium ad habitum & professionem. *Sub lit. N.*

Institutiones super receptione & educatione Novitiorum Clementis VIII. *Sub lit. O.*

Decretas Congregationis Concilii Urbani VIII. jussu edita de Regularibus Apostatis & ejectis. *Sub lit. P.*

Decretum Urbani VIII de publicatione annua praefatorum & aliorum decretorum. *Sub lit. Q.*

Revocatio omnium privilegiorum contra Concilium Trid. Pii IV. *Sub lit. R.*

*His decretis lectis, Illustrissimus per Officiale interrogari fecit omnes & singulos num aliquid habeant alterius pro utilitate Religionis, & status Ecclesiastici ac hujus Diocesis propendere? Omnibus vere tacentibus, post aliquam moram interjectam Illustrissimus pro conclusione Synodalis sermonis adduxit sex impedimenta quibus Diabolus nititur timorem Dei & Zelum proximi in nobis vel eripere vel impedire: Subjungendo ex probatissimi Authoris P. Ioannis Dominici Ottenelli Soc. Iesu, praeclearo libro, quem inscripsit, nonnulla bona monita, & casus conscientiae circa periculosam conversationem, anno 1646, edito Florentiae, horribilia exempla hujus nostrae aetatis ac saeculi, quae tum in Italia, tum in aliis locis contigere circa personas Ecclesiasticas; ac cum magno fervore sermonem conclusit, non sine fructu ut postmodum experientia docuit.*

*Exempla haec invenies infra sub littera S.*

Omnibus igitur, ut praesertim, divina cooperante gratia, ad majorem Dei gloriam, & Ecclesiastica disciplina reformationem peractis, Praemotores insisterunt pro conclusione Synodi, & reliqua juxta caerimonias priorum Synodorum Illustrissimo presidente peracta fuerunt. In fine proxima Synodus vernalis anni quinquagesimi sexti in feriam tertiam post Dominicam Oculi, quae erit 21 Martii, pro more indicta, ac praesens cum benedictione Episcopali intra sextam & septimam vesper-



*tinam in Ecclesia Cathedrali dimissa fuit. Duobus tur, ab Illustrissima S. C. decreta & expedite  
seque- tribus diebus variæ ordinationes & expeditio- fuerunt.  
nes, & quæ alias necessariae resolutionis videban-*

**E**T quia ego CHRISTIANUS BROCKMAN à supramemorato Reverendissimo & Illustrissimo Præside in Actuarius hujus sacrae Synodi deputatus fui, decretorum Synodaliū promulgationi, reliquisque in ea pertractatis interfui, & in fidem eorundem propria manu subscripsi. Acta sunt hæc anno à partu Virgineo MDCXV, Pontificatus SS. D. N. Alexandri Papæ septimi primo, Mensè & loco quibus supra, præsentibus Venerabilibus ac Eruditis Dominis Antonio Zöllinger, & Nicolao Schaberg, Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis Vicariis ac respective Sacristanis, Notario publico, testibus, specialiter ad hoc requisitis, & fide dignis.

CHRISTIANUS BROCKMAN,  
*hujus Synodi Actuarius specialiter ad hoc  
deputatus, & Pastor in Wahlenherst, &c.*



BVLLA



## A.

## BVLLA COENÆ DOMINI,

concernentia

Præcipuos casus summo Pontifici reserva-  
tos, à quibusParochi ordinarie neminem absolvere  
possunt.

1. **X**communicatio scilicet in hæreticos, eorum fautores, libros legentes, & schismaticos, qui ab obedientia summi Pontificis recedunt.
2. In appellantes à Papa ad futurum Concilium, eorumque fautores.
3. In Piratas, eorum receptores & fautores.
4. In rapientes naufragiorum Christianorum bona, aut scienter ab aliis rapta accipientes.
5. In imponentes nova Pedagia, & gabellass, vel eas augentes.
6. In falsificantes litteras Apostolicas, aut supplicationes à quocunque autoritatem habente, signatas, aut falso fabricantes litteras Apostolicas.
7. In deferentes arma, & alia belli usui apta, ad Turcas, & Reipublicæ Christianæ statum concernentia in damnum Christianorum nuntiantes.
8. In impedièntes eos, qui victualia & alia necessaria Romam deferunt.
9. Ad Sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes, suâ aut aliorum operâ lædentes, & sine jurisdictione vexantes in curia commorantes.
10. In eos, qui ex proposito Romipetas offendunt.
11. In offendentes S. R. E. Cardinales, & alios Prælatos.
12. In eos, qui ad Romanam Curiam recurrentes offendunt, aut executionem litterarum Apostolicarum impediunt, vel ad gratiam impetrandam accedentes prohibent.
13. Appellantes, à gravamine vel futura executione litterarum Apostolicarum, ad Laicam potestatem.
14. In executionem litterarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum impedièntes, & prohibentes, ad gratias impetrandas, accedentes.
15. In eos Iudices sæculares, qui Ecclesiasticas personas, ad sua tribunalia trahunt; quique Ecclesiasticam libertatem tollunt, vel in aliquo lædunt.
16. In impedièntes Prælatos, ut sua jurisdictione utantur, quique, illorum vel delegatorum Iudicia eludentes, ad Curiam sæcularem recurrunt.
17. In usurpantes Sedis Apostolicæ, & quarumcunque Ecclesiarum jurisdictiones, vel etiam fructus sequestrantes.
18. In imponentes decimas, & onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, Monasteriis, aut eorum fructibus.
19. Contra iudices sæculares, in causis capitalibus seu criminalibus contra Ecclesiasticas personas, se interponentes.
20. In occupantes loca, & terras Ecclesiæ Romanæ, & in illis supremam jurisdictionem usurpantes.
21. Reservatio absolutionis Romani Pontificis.
22. Contra absolventes in supradictis casibus.
23. Absolutio Romani Pontificis, etiam solemnem, quos non comprehendat.
24. Quod non obstant Privilegia, aut quævis Apostolica indulta, quo minus quis in hoc processu includatur.
25. Quod appensio processus in valvis Ecclesiæ S. Ioannis Lateranensis, aut Basilicæ Principis Apostolorum, ignorantia aut excusationis locum non relinquunt.
26. Quod Confessarii harum litterarum transumptum habeant.

C A



## B.

CASVS  
SVMMO PONTIFICI  
RESERVATI,

A quibus Parochi neminem, citra specialem facultatem, absolvere possunt.

**N**terficiens aut verberans Clericum, si læsio sit atrox, & enormis: persequens Episcopum, vel majorem & Prælatum.

Qui aliquo externo signo suam hæresim prodit, aut Hæreticis, ab Ecclesiâ damnatis, circa suas perverfas opiniones favet, eosque defendit.

Qui libros hæreticorum scienter legit, aut domi servat, citra specialem dispensationem.

Qui à Romani Pontificis obedientia, & Ecclesiæ Catholicæ unitate, pertinaciter se ipsum segregat.

Falsificans litteras Apostolicas, & impediens jura vel libertatem curiæ Romanæ.

Offendens Ecclesiasticam libertatem, ut, qui infringit & spoliat loca sacra, vel qui contra Ecclesiæ jura & privilegia judicat, aut Ecclesiarum bona detinet, alienat, vel alienata recipit, qui etiam non reddit Decimas.

Religiosus, habitum suum temere dimittens.

Simoniace dans vel recipiens sacros Ordines, aut beneficium Ecclesiasticum; & quicumque suam operam vel consilium interponit, ubi voluntas est dandi vel accipiendi pro re spiritali rem temporalem, cum significatione alicujus pacti expressi vel taciti, in quod pactum pars utraque consensit. Quæ Simonia realis in rebus Ecclesiasticis beneficiisve commissa, conjunctam habet obligationem ad beneficia non retinenda, & ad fructus eorum restituendos; in Ordinibus vero suspensum reddit illum, qui ordinatus est, ut non possit ea, quæ sui sunt Ordinis, citra specialem facultatem exequi.

Incendiarius, qui publicè fuit pro excommunicatione denunciatus.

Missam celebrans in excommunicatione majori.

Commutans alicui vota, facta de servanda castitate perpetua, de ingressu Religionis, de visitando sepulchro Domini, aut de sus-

cipienda peregrinatione ad Apostolorum Petri & Pauli limina, vel ad Sanctum Iacobum in Compostellam.

Sepeliens hæreticos, & illis adhærentes in loco sacro.

## C.

## CASVS SIMPLICES,

Qui ex jure Episcopis reservantur.

**H**I casus, qui ex jure Episcopis reservantur, præter excommunicationem majorem, quatuor sunt.

1. Clerici peccatum, quo in irregularitatem cadit.
2. De incendiariis dolosis, ante denunciationem tamen, (nam post eam est Papolis,) atque de iis, qui hoc fieri præcipiunt, aut auxilium, consilium, ac favorem dant.
3. Est peccatum, cujus causa Laicis olim solemnis indicenda erat pœnitentia: loco cujus, temporibus nostris, ii, qui crimen admittunt, aliter, sed severe tamen, ad arbitrium Ordinarii, puniri debent.
4. Est peccatum, à quo antea Episcopus, justis de causis, peccantem absolvere noluit, vel adhuc sibi reservat.

## CASVS SIMPLICES,

Qui ex consuetudine Episcopis reservantur.

**H**omicidium voluntarium, aut membrorum mutilatio; à quo tamen peccato, neque autor delicti, neque qui præcepit aut consensit, absolvi potest, nisi præmissa satisfactio.

2. Crimen falsarii seu falsi, quo non ii solum obstringuntur, qui litteras aut scripta falsa supponunt, sed falsi etiam testes, qui à mendacio contra verum stant, aut ii, qui rogati veritatem celant, aut perjury qui fidem, ac jusjurandum negligunt & violant, aut qui jus ipsum jurando pervertunt.
3. Violatio loci sacri, quod & sacrilegium appellatur, quo proximus, seu vir ille sit sive mulier, loco sacro, vel in persona,



na, vel in fortunis læditur, aut vi ab eadem, quo, ut tutus esset, confugerat, abstrahitur; aut cum semen humanum voluntarie ibidem spargitur, aut extra; quando cum persona DEO consecrata aliquis fornicatur, idque tum præcipue, cum Monialis vitiatur, atque alia id genus quamplurima, ad sacrilegium spectantia: ita ut omne sacrilegium, ex consuetudine, sit Casus Episcopalis.

4. Sortilegium, divinatio, incantatio, & id genus alia Magica exercitia, si sint crimina gravia, (quod discretus confessor discernat) quæ, qui admittunt, ut infames, nullum, dicendo testimonium accusandoque, locum habent, & ab Ecclesia exterminantur, nisi que respuerint, perpetuo sunt excommunicandi: quod si in sacris fuerint, dignitate atque honore privari debent.
5. Olim peccatum violantium Ecclesiasticam libertatem, personas aut res Ecclesiæ aggravando, casus Episcopalis erat: sed nunc, per Curia sententiam, huiusmodi violatores ipso facto sunt excommunicati, absolute Sanctæ Sedi reservata; ut videre est supra, in Bulla Cœnæ Domini, excommunicatione 18.
6. Promotio per saltum: ut vocant: ad sacros ordines, vel ab alieno Episcopo sine dispensatione.
7. Celebratio Missæ in Altari non consecrato, vel absque sacris indumentis, vel alioquin cum Sacerdos non est jejunus.
8. Fornicatio cum Spirituali filia, à se prius baptizata, aut è Sacro fonte suscepta, vel ad Confirmationem conducta, vel ejus Confessione audita, vel cum quibusvis aliis à fide Christiana ac religione alienis; veluti cum Iudæis, ac Sarcenicis & cæteris id genus hominibus.
9. Virginem vi constuprans, vel, post votum simplex castitatis emissum, contrahens matrimonium.
10. Adulter, Sacrilegus, incestuosus, cum bestiis abominationem faciens, perjurus, falsum dicens testimonium.
11. Pater filios opprimens, aut quæcumque persona in se vel aliis procurans abortum & sterilitatem.
12. Sacerdos absolvens excommunicatum majore, ut vocant, excommunicatione, vel Hæreticum sine speciali commissione, vel sepeliens usurarium manifestum.

## CASVS COMMVNES.

In specie verò sequentes Casus manifesti, non tamen occulti in hac Diœcesi reservati.

**F**ornicatio cum Filia Confessionis.  
Concubinatus publicus & vaga fornicatio.

Revelatio Confessionis.

Furtiva susceptio Sacrorum Ordinum sine debita licentia & dimissorialibus ab alieno Episcopo, aut cum Censuris irretitus quispiam, Ordinem suscipit, aut sine Ordinibus celebrat aut ministrat.

## CASVS

Reservati Laicorum.

**M**atrimonium contractum cum alia, conjugè adhuc vivente scienter aut antequam de morte prioris fati certificetur, aut clandestine initum, non servatà forma Concilii Tridentini, Machinatio in mortem Conjugis morte secutà.

## CASVS

Reservati, Clericis & Laicis communes.

**H**omicidium voluntarium, factò, præcepto, consilio vel consensu deliberato commissum.

Sacrilegium in re vel in persona.

Incestus cum Consanguineis & Affinibus gradu à Concilio Tridentino determinato.

Adulterium.

Raptus.

Procuratio abortus vel sterilitatis.

Incendium Ecclesiarum, domorum aut segetum malitiosè factum.

Pollutio Ecclesiæ, Cœmeterii, sanguinis vel seminis effusione, violatio immunitatis & libertatis Ecclesiasticæ.

Item veneficium, sortilegium, divinatio, incantatio, cum pacto Dæmonis expresso vel implicito, & abusus Sacramentorum & rerum Sacrarum ad superstitiones & artes magicas.

URBA-



VRBANVS PAPA VIII.  
AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

**C**um, sicut accepimus, aliquibus Religiosis quorundam ordinum, seu congregationum à sede Apostolica indultum fuerit, ut Sacramentales personarum Sæcularium Confessiones audire valeant, etiamsi ab Episcopis Diocesanis ad id examinati & approbati non fuerint; nec desint, qui temere assererent, hoc ipsum privilegium cæteris quoque aliorum Ordinum Regularibus competere, ex amplissimis privilegiorum Communicationibus, quas ab eadem sede Apostolica obtinuerunt, & hinc saluberrimum Sacri Conc. Trid. decretum desuper sancitum penitus evertatur. Nos huic malo opportunè providere volentes, De Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium Præpositorum Consilio, omnia & singula indulta huiusmodi, audiendi sæcularium Confessiones, absque Ordinarii examine & approbatione, quibusvis Collegiis, Capitulis, Religionibus, Societatibus, etiam Societati Iesu, Congregationibus & ordinibus, tam mendicantium quam non mendicantium, nec non Monachorum quorumcunque etiam S. Benedicti, Cisterciensis & Carthusiensis, ac etiam quibusvis militiis, etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, ac quibuscunque Ecclesiis etiam Patriarchalibus & Metropolitanis, Monasteriis, cæterisque locis piis, sive eorum & earum respectivè Abbatibus, Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælati, Prioribus, Rectoribus, etiam Generalibus vel Provincialibus, Capellanis, Confessariis, aut aliis quocunque nomine nuncupatis, superioribus & personis quibuscunque, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectis, cuiuscunque dignitatis, præminentia & conditionis existentibus, & quovis privilegio munitis, & tam ad Supplicationem partium, quam motu proprio & ex certa Scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hætenus quandocunque & qualitercunque ex quavis, etiam de necessitate exprimenda causa, & aliàs quomodolibet concessa, Apostolica autoritate tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus & annullamus, viribusque & effectu evacuamus, ac revocata, cassa, sublata, abrogata & annullata, viribusque & effectu vacua esse & fore, nec Religioni-

bus, Societatibus, etiam Societati Iesu, congregationibus, ordinibus, ac militiis, & Ecclesiis, monasteriisque prædictis, eorumque superioribus & personis quibuscunque imposterum ullo modo suffragari, minusque illos, & illas, etiamsi de iis specialis, specifica & expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, indultis huiusmodi uti posse. Præfentes vero litteras, & in eis contenta quæcunque etiam ex eo, quod quicunque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocari, & auditi non fuerint, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, in jus vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversus illas, quodcunque juris, gratia, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere. Sicque per quoscunque Iudices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos & Nuntios, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate & autoritate iudicari & definiri debere, ac irritum & inane quicquid fecus super his à quocunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, privilegiis, quoque indultis, & litteris Apostolicis, Ordinibus, Societatibus & congregationibus prædictis, eorumque Præpositis, Decanis, Magistris, Abbatibus, Ministris, Prælati, Prioribus, Rectoribus & aliis Superioribus, Capellanis aliisque prædictis, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis, in genere, vel in specie, & alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda,



habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis, habentes, illis aliàs in suo robore permanens, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque: volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii Publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ: Quodque eadem præsentibus litteræ, seu illarum exempla ad valvas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis ac Principis Apostolorum de Vrbe & in Acie Campi Floræ affixa omnes ita arctent & afficiant, ac si unicuique personaliter intimata fuissent. Dat. Romæ apud S. Mariam Majoris sub Annulo Piscatoris die XII Septembris MDCXXVIII. Pontificatus Nostri anno sexto.

*M. A. Maraldus.*

E.

**S**acra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita censuit, per Confirmationes privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse Privilegia prius ab eodem

Concilio, ac deinde etiam ipsius congregationis Decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absolvendi à casibus Ordinario loci reservatis; Quemadmodum nec indulta absolvendi à casibus contentis in bulla, quæ in Die Cœnæ Domini legi consuevit, utpote sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires aut robur acquisivisse ex subsequentibus Privilegiorum confirmationibus: Ac proinde Regulares, cujusvis ordinis, congregationis, societatis & instituti, etiam necessario exprimendi, nec intra nec extra Italiam in vim Privilegiorum, aut confirmationum ejusmodi, quas vel hætenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, posse quæquam absolvere ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ aut Ordinario loci reservatis. Ac si secus egerint, absolutiones nullas, atque irritas fuisse, ac fore. Ab aliis vero casibus & Censuris Sedi Apostolicæ reservatis, si quidam Regulares habeant à Sede Apostolica absolventi facultatem, illam extra Italiam minime sublatam fuisse iisdem Sacræ Congregationis Decretis, hac de re editis jussu San: mem: Clementis VIII.

Quam Sacræ Congregationis sententiam Sanctitas Sua ad se relatam approbavit, mandavitque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter observari. Romæ 17 Novembris, 1628.

*F. A. Card. S. Honorii.*

Loco † Sigilli.

*P. Fagnanus Secr.*

F.

## DE EXEMPTORVM PRIVILEGIIS

Circa animarum curam & Sacramentorum administrationem, Sanctimonialium Monasteria, & prædicationem verbi DEI.

**T**V scias nonnulla dubia super ista Constitutione exorta fuisse, super quibus emanatæ sunt declarationes Sacræ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Inter-

pretum, ab istomet Gregorio, & S. D. N. Urbano VIII ejus Successore, respectivè approbatæ, quæ hic subsequuntur.

vj E c

GRE-



Edita An-  
no Dom.  
1623.

GREGORIVS  
EPISCOPVS,  
Servus Servorum DEI.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**I**NSCRUTABILI DEI providentia universalis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus praesidentes, pastoralis nostrae sollicitudinis partes esse dignoscimus, in eam curam praecipue incumbere, ut à dignis & probatis tantum sacerdotibus sanctè administrantur Ecclesiastica Sacramenta, atque ut Virginum Deo sacrarum Monasteria diligentissimè custodiantur, & viri assumantur idonei ad Praedicationis officium salubriter exequendum.

§. 1. Sanè Tridentinae Synodi decretis providè cautum est, nullum Presbyterum, etiam regularem, posse Confessiones saecularium etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem quae gratis detur, obtineat.

§. 2. Nec non ut in Monasteriis, seu domibus Virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, praeter eas, quae sunt de illorum Monasteriorum seu locorum familia personae; tam regulares, quam saeculares ejusmodi curam exercentes, subsint immediatè in iis, quae ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, vilitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Dioecesi sunt sita. Itemque ut Episcopi universi sub obestatione Divini Iudicii & interminatione maledictionis aeternae in omnibus Monasteriis sibi subjectis Ordinaria, in aliis verò Sedis Apostolicae auctoritate clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maximè procurent, inobedientes atque Contradictores per Censuras Ecclesiasticas, aliasque poenas quacunque appellatione postposita, compescerent.

§. 3. Atque ut Regulares in Ecclesiis suorum Ordinum praedicare volentes, se coram Episcopis praesentare, & ab eis benedictionem petere teneantur; in Ecclesiis verò, quae suorum Ordinum non sunt, nullo modo praedicare possint sine Episcopi licentia: Contradictente autem Episcopo, nulli, etiam in suorum Ordinum Ecclesiis praedicare praesumant.

§. 4. Verum quia experientia compertum

est, Ecclesiastici Regiminis rationes postulare, ut decretis ejusmodi aliquid adjungatur: maturà deliberatione Nostrà & ex certa scientia ac de Apostolica potestatis plenitudine, hac generali, ac perpetuè valitura constitutione decernimus, statuimus & declaramus, ut deinceps tam regulares quam saeculares, quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum saecularium Monasteriis, seu domibus regularibus aut quibusvis aliis Ecclesiis vel beneficiis sive regularibus, sive saecularibus, incumbentem exerceant; sive alias Ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrant praevia Episcopi licentia & approbatione; sive quoquo modo in dictae curae exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel alicujus ex illis administratione de facto, absque ulla auctoritate se ingerant: in his, quae ejusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodae Jurisdictioni, vilitationi & correctioni Dioeceseo Episcopi tanquam Sedis Apostolicae delegati, plenè in omnibus subjiciantur. Ad haec tam regulares, quam Saeculares hujusmodi nullis privilegiis, aut exemptionibus tueri se possint, quo minus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem Monasteriorum monialium, etiam regularibus subjectarum, ab Episcopo loci similiter tanquam ad hoc Sedis Apostolicae delegato, quoties & quando opus fuerit, puniri & corrigi valeant.

§. 5. Confessores verò sive saeculares quomodocunque exempti, tam Ordinarii, quam extraordinarii, ad Confessiones Monialium, etiam regularibus subjectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo Dioeceseo idonei judicentur, & approbationem, quae gratis concedatur, obtineant. Sed & administrantes bona ad ejusdem Monasteria Sanctimonialium, ut praefertur, etiam regularibus subjectarum, pertinentia, sive regulares extiterint sive saeculares quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam superioribus regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque Juris remediis cogi & compelli queant. Liceatque Episcopo, ex rationabili causa superiores regulares admonere, ut ejusmodi Confessores atque Administratores amoveant: iisque superioribus id facere detrectantibus aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem praedictos Confessores & Administratores amovendi quoties & quando opus esse judicaverit. Ac similiter possit Episcopus, unà cum Superioribus regularibus, quarumcunque Abbatissarum, Priorissarum, Praefectarum, vel Praepositarum eorundem Monasteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus per se, vel per alium interesse, ac praesidere; absque



absque ulla tamen ipsorum Monasteriorum impensa.

§. 6. Ac demum habeat Episcopus, tanquam dictæ Sedis delegatus, auctoritatem coercendi, ac puniendi quoscumque exemptos tam sæculares quam regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia; & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint. Ita ut Episcopi in supra scriptis casibus, in prænominate personas, in præmissis omnibus & singulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra Visitationem, per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, uti ejusdem Sedis delegati, procedere, omnemque jurisdictionem exercere liberè & licitè valeant.

§. 7. Decernentes, sic per quoscumque Iudices quavis auctoritate fungentes, etiam Sacri Palatii Auditores, nec non Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; Irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, & vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujusvis alterius instituti, etiam necessario & in individuo exprimendi, Monasteriorum, Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcumque tam sæcularium quam regularium locorum, nec non illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis etiam in corpore Iuris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine foundationis concessis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis; Conservatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minime teneantur; & quibusvis aliis, sub quibuscumque te-

noribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis, etiam Motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis & iteratis vicibus approbatis, & innovatis; etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus & formis specialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, quibus quoad ea, quæ iisdem præsentibus adverfantur, illis alias in suo robore permanens, specialiter & expresse derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Cæterum quia difficile foret præsentibus literas ad singula quæque loca deferri, ut eæ tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad valvas Lateranen. & Principis Apostolorum de urbe Basilicarum atque Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ publicari & inibi affigi, & per aliquod temporis spatium dimitti, eisque detractis, earum exempla eo in loco relinquere.

§. 10. Ac volumus, ut earundem præsentium litterarum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis & sigillo Prælati seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio, & extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhibetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, declarationis, decretorum, derogationis, mandati & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno incarnationis Dominicæ MDCXXII, Nonis Februarii, Pontificatus Nostri Anno secundo.

In nomine Domini Amen, Anno à Nativitate Domini nostri JESU Christi 1623 indictione Sexta, die vero octava Mensis Februarii; Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri D. GREGORII divina providentia Papæ XV, anno secundo, retrospectæ litteræ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranen. Principis Apostolorum de urbe, ac Cancellariæ Apostolicæ & in arce Campi Floræ, dimissis ibidem earundem litterarum originalibus appensis per aliquod temporis spatium & exinde remotis, deinde dimissis earundem litterarum copiis affixis, ut moris est, per nos Cosmum Modium & Alexandrum de Rocchi Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursores,

*Octavius Spada Magister Cursorum.*

vj E e 2

Sub-



Subsequuntur hic aliquot dubia super ista Constitutione exorta, Quorum resolutiones mox subjicientur.

Posita constitutione fel: record: GREGORII XV. de Exemptorum privilegijs &c: Dubitatur.

I. **A**N liceat Episcopis visitare Altaria regularium Ecclesiarum, quibus cura animarum personarum secularium non incumbit, aut loca, ubi in iisdem Ecclesijs asservatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel ubi audiuntur Confessiones personarum secularium.

II. An Episcopi possint Regularibus præscribere, ut certis tantum in locis ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant, vel alias illorum privilegia restringere, ac moderari in Sacramentis administrandis?

III. An facultas Episcopis per Constitutionem attributa in exemptos tam seculares quam regulares, intelligatur etiam tributa in personis nullius Diocesis?

III. An eadem facultas competat inferioribus Prælati proprium territorium, ac Iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus.

V. An per eandem Constitutionem in illis verbis possit Episcopus unâ cum superioribus regularibus quarumcunque Abbatissarum &c: electionibus per se vel per alium interesse, ac præsidere; Ius Abbatissas confirmandi Episcopis attributum censeatur.

VI. An Confessores Monialium ante editam Constitutionem deputati debeant ab Episcopo examinari & approbati?

VII. An Superiores Regulares similiter ante ipsius Constitutionis publicationem electi, seu Deputati, alia indigeant Episcopi approbatione pro confessionibus Sanctimonialium sibi subiectarum audiendis.

VIII. An confessiones, quas audiunt superiores Regulares electi, seu Deputati vel confirmati post publicationem & scientiam tenoris dictæ Bullæ, non obtenta Episcopi approbatione, sint nullæ, atque irritæ nec ne?

IX. An Regulares generaliter ab Episcopo approbati ad confessiones personarum secularium audiendas censeantur etiam approbati ad audiendas confessiones Monialium sibi subiectarum.

X. An Regularis ad audiendas Confessiones Monialium unius Monasterii ab Episcopo approbatus, Confessiones Monialium alterius Monasterii audire possit?

XI. An Confessores Regulares extraordi-

narii semel ab Episcopo deputati & approbati ad audiendas Monialium Confessiones pro una vice infra annum ad præscriptum Sacri Concilii Tridentini, possint, virtute dictæ approbationis, pluries tanquam Confessores extraordinarii, earundem Confessiones audire absque nova Episcopi licentia?

XII. Cum in eadem Constitutione statutum sit, ut liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere ut amoveant Confessores Monialium, atque Administratores bonorum ad earundem Monialium Monasteria pertinentium, iisque superioribus id facere detrectantibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores & Administratores amovendi quoties & quando opus esse judicaverit: An ejusmodi causam Episcopus superioribus Regularibus significare teneatur?

XIII. An eadem Constitutio qua parte supponit Episcopi Iurisdictioni Regulares delinquentes circa personas degentes intra septa Monasteriorum Monialium, aut circa clausuram, vel bonorum administrationem eorundem Monasteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an vero solum in notorijs & cum scandalo populi?

SVBSEQVNTVR  
DECLARATIONES

ad supradicta dubia à Congregatione Cardd: S. Concilii Tridentini Interpretum datæ, & ab isto & VRBANO VIII ejus successore respective approbatæ.

**S**acra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, Constitutionem Sanct. mem. GREGORII XV. de exemptorum privilegijs, nequaquam subijcere Regulares exemptos, quibus cura animarum personarum secularium non incumbit. Episcoporum jurisdictioni in his, quæ Sacramentorum Administrationem concernunt, nisi cum in Sacramentis personis secu-



ſæcularibus adminiſtrandis iidem Regulares delinquant: ac propterea

Ad primum dubium reſpondit, Episcopis non licere in vim ejuſdem Conſtitutionis viſitare Altaria Eccleſiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura perſonarum ſæcularium, nec loca, ubi in iuſdem Eccleſiis aſſervatur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vel ubi Confeſſiones perſonarum ſæcularium audiuntur.

Ad II. Hac in parte Conſtitutionem nihil novi Iuris induxiſſe, nec ullam novam auctoritatem Episcopis in Regulares attribuiſſe: Ideoque in vim ipſius Conſtitutionis non poſſe Episcopos Regularibus præſcribere, ut certis tantum in locis, ac temporibus aut certarum perſonarum Confeſſiones audiant, vel aliàs illorum privilegia in Sacramentis adminiſtrandis retringere aut moderari. Quod ſi aliunde Episcopis huiuſmodi facultas competat, illam non fuiſſe ab eadem conſtitutione ſublata.

Ad III. Cenſuit ejuſmodi facultatem non intelligi tributam Episcopis in perſonas nullius Diœceſis.

Ad IIII. Non competere.

Ad V. Ius confirmandi Abbatiffas minime fuiſſe Episcopis per Conſtitutionem attributam.

Ad VI. Confeſſores quidem extraordinarios Monialium nullatenus, poſſe poſt Conſtitutionem illarum Confeſſiones audire, niſi prius ab Episcopo Diœceſano idonei iudicentur & approbentur. Ordinarios verò Confeſſores ante Conſtitutionis publicationem deputatos poſſe, durante triennio ab eorum deputatione inchoando, pergere in Confeſſionibus Sanctimonialium audiendis abſque alio examine & approbatione Episcopi. Quodſi contingat, ut illorum facultas à Sede Apoſtolica ultra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Episcopo examinari, & approbari.

Ad VII. Superiores Regulares electos, ſeu deputatos ante Ipſius Conſtitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competit audiendi Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, poſſe, durante eorum officio, pergere ſine alia Episcopi approbatione in Confeſſionibus audiendis illarum tantum, quæ ſponte ac proprio motu id ab eis petierint. At verò eos, qui poſt Conſtitutionem eligentur aut quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum officiis, ſeu dignitatibus, expleto jam tempore à Conſtitutionibus cujuſque Ordinis, vel alias legitime præſinito ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam poſſe Sanctimonialium Confeſſiones audire, niſi prius à Diœceſano Episcopo, idonei iudicati, atque approbati fuerint.

Ad VIII. Confeſſiones huiuſmodi nullas atque irritas eſſe.

Ad IX. Regulares generaliter ab Episcopo approbatos ad Confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, ſed egere quoad hoc ſpeciali Episcopi approbatione.

Ad X. Regularem ad audiendas Confeſſiones Monialium unius Monasterii ab Episcopo approbatum, minime poſſe audire Confeſſiones Monialium alterius Monasterii.

Ad XI. Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſe pluries in vim approbationis ejuſmodi illarum Confeſſiones audire: Sed ab Episcopo toties eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit.

Ad XII. Non teneri ejuſmodi cauſam ſignificare ſuperioribus Regularibus; Sed hoc relinqui arbitrio & prudentiæ Episcoporum, quorum Conſcientiam Sacra Congregatio ſerid oneravit, ne facultate ſibi hac in parte attributa quoquo modo abutantur, ejuſ rei in diſtricto Dei Iudicio rationem reddituri.

Ad XIII. Conſtitutionem habere locum in omnibus delictis, non autem in notoriis tantum, & cum populi ſcandalo.

Quæ Sacræ Congregationis reſponſa ad ſe relata ſel. record. GREGOR. XV. & S. D. N. VRBANUS VIII in omnibus approbarunt.

*A. Card. Caetanus.*

*Proſper Fagnanus S. Congreg. Secr.*

Subſequentur alia duo Dubia, ab eadem Congregatione declarata & à Sanctiſſimo D. N. approbata.

**A**N Regularis abſque legitima licentia *Dub.* accedens ad Monasterium Monialium Regularibus ſubjectarum, ibique in loco colloquii deſtinato cum Moniali colloquens, à Diœceſano Episcopo, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato, coerceri & puniri poſſit?

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum cenſuit, Poſſe. *Reſolutio d. Dubii.* Quam Congregationis ſententiam Sanctiſſimus Dominus Noſter VRBANUS VIII. ad ſe relata approbavit.

An liceat Episcopo in vim Conſtitutionis Sanct. memor. GREGOR. XV. de exemptorum privilegiis, punire Regulares, qui ad Abbatiffæ electionem procedunt, ante tempus ipſi Episcopo ſignificatum, aut die Electionis eidem nullatenus præſunciata? *Dub.*

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii *Declaratio dicti Dubii.*



Tridentini Interpretum respondit. Regulares ex eadem Constitutione ita demum teneri Episcopo significare diem Electionis Abbatissæ, eumque usque ad præfinitum tempus expectare, si antea ipse expressè declaraverit, se uti velle facultate sibi hac in parte attributa, Abbatissarumque electionibus per se vel per alium interesse, ac præsidere. Post eam verò

declarationem licere Episcopo animadvertere in Regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non prænunciata, ad Abbatissæ electionem procedunt.

*Cof. Card. de Torres.*

*Prosper Fagnanus S. Congreg. Secr.*

## G.

# INNOCENTIUS PAPA X.

## Ad futuram rei memoriam.

§. 1.



Um sicut accepimus, aliquæ fuerint ortæ differentiarum inter venerabilem fratrem Joannem Episcopum Angelopolitan. sive popule Sanctorum Angelorum in Indiis Occidentalibus ex una, & dilectos filios Clericos Regulares Societatis Jesu partibus ex altera, de, & super munere prædicationis verbi Dei in propriis eorundem Clericorum Regularium perita solum Episcopi benedictione, quam in alienis Ecclesiis petita, & obtenta ab eodem Episcopo Diocesano licentia exercendi; nec non super Confessionibus Laicorum audiendis prævio examine, sive approbatione ejusdem Episcopi Diocesani, quæ dicti Clerici Regulares in vim Privilegiorum prædictæ Societati Apostolica autoritate concessorum sibi proprio jure licere prætendebant, & desuper in partibus fuerit deventum ad plures actus judiciales, & pro parte Clericorum Regularium hujusmodi ad Electionem conservatorum privilegiorum hujusmodi: Nobisque tam dicti Joannis Episcopi, quam eorundem Clericorum Regularium nomine pro sopiendis differentiis hujusmodi quædam dubia decisionem differentiarum præfatarum, nec non jurisdictionem Ordinariorum in exemptos, & ipsorum Clericorum Regularium exemptionem à jurisdictione Ordinarii concernentia fuerint proposita, ad quæ ambæ partes responderi, & quid desuper observandum sit, auctoritate Nostra Apostolica statui & stabiliri desiderabant.

§. 2. Nos, qui omnium fidelium & præsertim Ecclesiasticorum quieti libenter incumbimus, differentias prædictas, totumque negotium particulari congregationi aliquorum venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ R. E. Cardinalium, & dilectorum Romanæ Curia Prælatorum examinan. commisimus,

qui auditis sæpius Procuratoribus prædicti Joannis Episcopi nec non procuratore Generali Societatis prædictæ, negotio maturè discussio, omnibus dubiis, & petitionibus hinc inde propositis, responderunt prout sequitur, videlicet:

§. 3. Sacra Congregatio à Sanctissimo Domino Nostro deputata super controversiis vertentibus inter Episcopum Angelorum in Indiis Occidentalibus, & Religiosos Societatis Jesu sæpius auditis procuratoribus ab eodem Episcopo ad Urbem allegatis, nec non ipsius Societatis Procuratore Generali, negotioque accuratè discussio, censuit prædictos Religiosos nequaquam posse in Civitate & Diocesi Angelopolitana personarum sæcularium Confessiones audire sine approbatione Episcopi Diocesani, nec verbum Dei prædicare in Ecclesiis sui ordinis, non petita ipsius benedictione, nec in aliis Ecclesiis sine ejus licentia, nec in Ecclesiis etiam sui ordinis ipso contradicente, & contraveniente, ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato coerceri, & puniri posse etiam censuris Ecclesiasticis in vim Constitutionis Sanct. mem. Gregorii X V. quæ incipit, Inscrutabili Dei providentia. Ac proinde memoratis Religiosis, qui hujusmodi approbationem, ac licentiam se obtinuisse non docuerint potuisse Episcopum, seu ejus Generalem vicarium præcipere sub poena excommunicationis latæ sententiæ, ut à Confessionibus audiendis & verbi Dei prædicatione abstinerent, nec ob eam causam licuisse dictis Religiosis quasi à manifestis injuriis, & violentiis eligere Conservatores, eosque, ut præfertur electos in Episcopum, ejusque vicarium Generalem indebitè, ac nulliter excommunicationem fulminasse. Cæterum sancta congregatio seriò in Domino hortatur, ac monet Episcopum, ut Christianæ mansuetudinis memor erga Societatem Jesu,

quæ



quæ laudabili suo instituto in Ecclesia Dei tam fructuose laboravit, ac sine intermissione laborabat, paterno se gerat affectu, eamque in regimine Ecclesiæ suæ perutilem adiutricem agnoscens benignè foveat, ac pristinae suæ benevolentia restituat, quemadmodum sacra Congregatio ipsum facturum confidit, sibi que certo pollicetur, cum ejus zelum, pietatem ac pastoralem sollicitudinem comperitam habeat. Datum Romæ die 16 Aprilis Anno 1648.

§. 4. Et præmissorum occasione pro parte prædicti Ioannis Episcopi: nec non Religiosorum Societatis Jesu in eadem congregatione proposita fuerunt diversa dubia de mandato Sanctissimi resolvenda, quæ quidem Sacra Congregatio sæpius auditis, ut in præmissis ab eodem Episcopo ad Urbem missis; nec non Procuratore Generali ipsius Societatis, negotioque maturè perpensò ad singula dubia ab utraque parte proposita respondit ordine quo sequitur:

Primo, An in casu, quo Episcopus præcipiat decreta aliqua Concilii Tridentini à Regularibus observari & executioni demandari, Regulares quicumque etiam Societatis Jesu, sub prætextu, quod huiusmodi præcepta infringant sua privilegia, possint eligere conservatores? Congregatio respondit, si Episcopus præcipiat Regularibus etiam Societatis Jesu, ut Decreta aliqua Concilii Tridentini observent, ac exequantur in illis casibus, in quibus per ipsum Concilium, vel constitutiones Apostolicas Regulares exempti subjiuntur jurisdictioni & correctioni Episcopi, minime licere ipsis Regularibus ob eam causam Conservatores eligere.

Secundo, An quando Ordinarius procedit juris ordine servato adversus Regulares prædictos in casibus, in quibus per Concilii Tridentini, vel constitutiones Apostolicas ipsi subjiuntur, possint Conservatores Judices assignare? Respondit, ut ad proximum, non posse.

Tertio, An Regularibus etiam Societatis Jesu afferentibus se habere privilegia, quo minus obediant Episcopo in executione decretorum juris Communis Concilii Tridentini & Constitutionum Apostolicarum, Ordinarii debeant ipsis adhibere fidem absque exhibitione huiusmodi privilegiorum? Respondit, Ordinarios non teneri huiusmodi assertioni fidem adhibere absque integrali privilegiorum exhibitione.

Quarto, An in casu quo Regulares quicumque etiam Societatis Jesu exhibeant aliqua privilegia, & Ordinarii judicent ea non suffragari casui de quo agitur, & ad rem non facere, Regulares præfati possint, & debeant provocari ad summum Pontificem, vel in partibus Indiarum remotissimis ad Metropolita-

num sive Ordinarium viciniorem, vel potius possint hoc casu eligere Conservatores? Respondit, si verba privilegiorum sint obscura & ambigua, non licere recurrere ad Metropolitanum vel viciniorem Episcopum, nec conservatores eligere, sed summum Pontificem pro interpretatione esse adeundum.

Quinto, utrum Constitutio sel. record. Gregorii XV. circa Conservatores Regularium publicata anno 1621. cum declarationibus Eminentissimorum Sacræ Congregationis Concilii Tridentini Interpretum desuper editis æque afficiat, & comprehendat Religiosos Societatis Jesu, ac reliquos Regulares, ita ut omnia alia prædicta Societatis privilegia fuerint reducta ad terminos dictæ Constitutionis, & sic imposterum debeant ab iis eligi Conservatores juxta formam, & tenorem prædictæ constitutionis? Respondit, huiusmodi Constitutionem cum declarationibus, ut prætenditur editis æque afficere Religiosos Societatis Jesu, atque aliorum Ordinum, & Conservatores ad illius præscriptum esse eligendos, non obstantibus quibusvis privilegiis, quippe quæ omnia sunt reducta ad terminos ipsius Constitutionis.

Sexto, An Regulares prædicti gravati ære alieno vel ad ratiocinia, vel testamentorum Executores possint conveniri coram ordinario, si Conservatores non nominaverint intra tempus habile ab ordinario, præscriptum. Respondit, Regulares in causis præfatis coram ordinario loci esse conveniendos, si ad præscriptum Constitutionis Sanctæ mem. Gregorii XV. Conservatores non elegerint, ipsumque electionis Documentum intra præfinitum tempus in actis Curia ipsius ordinarii non exhibuerint ac dimiserint.

Septimo, An dicti Regulares Conservatores, sive ad jura, sive ad privilegia tuenda assumptas, teneantur ante exercitium Commissionis præstare cautionem coram ordinario, sive alio iudice competente, de iudicio sisti, & iudicatum solvendo, casu quo in lite sive causa succubuerint? Respondit non teneri.

Octavo, An quando Episcopi jura, vel decimas Cathedralium adversus Regulares prædictos dote sua spoliantes Ecclesias coram iudice competente teneantur, librosque, memorialia, & allegationes producant ius Ecclesiarum Cathedralium exprimentes & acquisitiones Religiosorum, aliaque id generis adnumerantes huiusmodi scriptorum occasione, possint Regulares nominare Conservatores, prætendentes injuriam sibi inferri in referendo immoderatas acquisitiones? Respondit, Si Episcopi, pro tuendis juribus Cathedralium Ecclesiarum coram Iudice competenti huiusmodi scripta producant, & Regularium immoderatas acquisitiones veraciter & modestè referant, non licere Regularibus ob eam



causam ad Conservatores recurrere.

Nono, utrum Regularis quicumque etiam Societatis Iesu possit administrare Sacramentum poenitentiae secularibus absque licentia Episcopi Dioecesei, etiamsi in aliena Dioecesi approbatus sit? Respondit, Regulares etiam Societatis Iesu in una Dioecesi ab Episcopo approbatos, ad Confessiones personarum saecularium audiendas nequaquam posse in alia Dioecesi huiusmodi Confessiones audire, sine approbatione Episcopi Dioecesei.

Decimo, An Episcopus contra dictos Regulares audientes in sua Dioecesi Confessiones Saecularium absque sua approbatione, vel Concionatores absque Licentia Episcopi intra vel extra proprias Ecclesias, possit procedere, eos a talibus ministeriis removendo, sive praecipis & aliis juris remediis coercendo? Respondit eisdem Regularibus, qui Confessiones personarum Saecularium audiunt sine approbatione Episcopi loci, vel praedicant in Ecclesiis sui Ordinis, non petita illius benedictione, aut in aliis Ecclesiis absque ipsius licentia, vel in Ecclesiis etiam sui ordinis ipso contradicente posse Episcopum in vim Constituti: fel: rec: Gregorii XV. quae incipit: Inscrutabili Dei providentia, tanquam Sedis Apost. Delegatum administrationem Sacramenti poenitentiae ac munus praedicationis interdicere, eosque juris remediis coercere & punire.

Undecimo, An quando Episcopo constat dictas licentias obtentas non fuisse, ipse possit praecipere, ut donec licentiam intra praescriptum tempus exhibeant, a tali ministerio abstineant, & an requirendus sit per Episcopum pro his exhibendis Provincialis in alia Dioecesi, vel longissime existens, vel ipsi Regulares Confessarii, vel eorum superiores ejusdem Dioecesis, in qua praedicta exercent? Respondit posse Episcopum sic praecipere, nec pro huiusmodi Licentiis requirendum esse Provinciale, sed satis esse ipsos Religiosos requirere, aut eorum superiores in Dioecesi Episcopi existentes.

Duodecimo, An si contingat, ut aliquis praedictorum Regularium insurgat contra Episcopum in propria Dioecesi maledictis cum scripto, vel dicto populum scandalizando possit ab Episcopo puniri, & qua animadvertione, & quid si huiusmodi delinquens transiverit ad aliam Dioecesim in hoc casu servandum sit? & qua poena puniendus sit Regularis, qui commorans in una Dioecesi spargat famosos libellos contra Ordinarium alterius Dioecesis? Respondit, si Regularis intra claustra degens extra ea in casibus in dubio expressis ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, teneri superiorem Regularem infra tempus ab Episcopo praefigendum severe illum punire, ac de punitione Episcopum certiore facere, alioquin sic delinquentem

ab Episcopo puniri posse ad praescriptum Concilii Tridentini cap. 14. Sess. 25. de Regular. quod si delinquens ad aliam Dioecesim migraverit, servandum esse quod praecipitur in Constitutione Sanctae mem: Clementis VIII. incipien. Suscepti muneris ratio.

Decimotertio, An Conservatores nominati & electi a Regularibus praedictis ante exercitium suae jurisdictionis teneantur Electionis authenticum documentum exhibere coram Ordinario, sub poena nullitatis actuum? Respondit, utique teneri.

Decimoquarto, An privilegia, quae sunt contra Jurisdictionem Ordinarii, & quibus gaudent, & gaudere praetendunt Regulares praedicti, debeant Episcopis notificari, sive infinuari? Respondit, Regulares teneri huiusmodi privilegia Episcopo exhibere, si eis uti voluerint.

Decimoquinto, An praedia rustica, metallorum fodinae, sachari opificinae a Regularibus Societatis, vel aliis possessa, vel aliae Domus saeculares, in quibus videlicet, unus vel duo Regulares tantum commorantur, gaudeant privilegio Collegiorum seu conventuum? Respondit non gaudere.

Decimosexto, utrum Regulares praedicti Apothecas quarumcunque mercium, macella, & similia praesertim prope collegia sive conventus exercentes, possint ab ordinario sub censuris inhiberi, ne huiusmodi exercent? Respondit non posse Episcopum hoc prohibere Regularibus exemptis, sed si in praemissis ita notorie delinquant extra claustra, ut populo scandalo sint, servandum esse quod dictum est supra in responsione ad duodecimum.

Decimo septimo, utrum Regulares, etiam Patres Iesu in suis praediis, opificinis, aliisque suis Domibus saecularibus sitis intra limites parochialium ad se non spectantium possint administrare Sacramentum Baptismatis, solemnem matrimonii, extremae unctionis & Eucharistiae in festo Paschatis famulis, mercenariis, rusticis, sive aliis id genus hominibus saecularibus absque Ordinarii, vel parochi licentia? respondit non posse.

Decimo octavo, utrum P. P. Societatis in Civitate & Dioecesi Angelorum possint consecrare vasa sacra, altaria & similia in quibus unctio requiritur? Respondit itidem non posse.

Pro parte vero Religiosorum Societatis Iesu proposita fuerunt infra scripta dubia.

Primo, An Episcopi in partibus Indiarum possint ex integro totum unum Monasterium, vel collegium ab audiendis Confessionibus suspendere? Respondit, Episcopos Indiarum posse quidem omnibus simul unius Monasterii vel collegii Confessariis adimere facultatem audiendi Confessiones personarum saecularium,



larium etiam inconsulta Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium negotiis præposita, cum decretum ab ea editum sub die 20. Novembris 1615. ex intentionis defectu, & convenientia morali non extendatur ad Regiones illas, tam longe ab Vrbe distitas. Verum ab hac generali suspensione, quæ vix sine scandalo & animarum perniciæ contingere potest, abstinendum esse Episcopis, nisi gravissima subsistente causa, super quo Sacra Congregatio illorum Conscientias graviter voluit esse oneratas.

Secundo, An Episcopus Regularem pro Confessionibus semel approbatum sine nova causa suspendere possit ab ipsis Confessionibus audiendis? Respondit, Regulares alias liberè ab Episcopo prævio examine approbatos ad audiendas confessiones personarum secularium ab eodem Episcopo suspendi non posse, sine nova causa eaque ad Confessiones ipsas pertinente.

Tertio, An Bulla Pii v. 34. in ordine tom. 2. Bullarii concessa, instante, & supplicante Serenissimo Rege Catholico, non ad petitionem Regularium sit revocata in Bullis summorum Pontificum in quibus exemptiones Regularium mitigantur? Respondit, agendum cum Sanctissimo, an velit declarare Bullam non esse revocatam, illam tamen non suffragari, nisi in locis ubi est defectus Parochorum.

Quarto, An Episcopus possit cum censuris procedere contra Regulares exemptos, si inobedientes fuerint in Confessionibus audiendis, vel prædicatione verbi Dei; & hoc an vigore Concilii Tridentini, vel per quem Canonem? Respondit posse procedere, non quidem in vim Concilii Tridentini, sed in vim Constitutionis Gregorii XV. quæ incipit Inscrutabili Dei providentia.

Quinto, An licentia audiendi Confessiones, & prædicandi, ab Episcopo per litteras patentes Cancellariæ concedi possit? Respondit, posse concedi etiam per litteras missivas, vel oretenus si ita Episcopo videbitur.

Sexto, An talis licentia oretenus sine scriptis concedi possit? Respondit ut ad proximum.

Septimo, An facultas eligendi conservatores concessa Societati à Gregorio decimo tertio suffragetur illis in locis in quibus non adsunt Iudices Synodales? Respondit, ubi non adsunt Iudices Synodales Privilegium Gregorii XIII. non suffragari, quo ad hoc ut Societas non teneatur ex illis eligere conservatores, dummodo tamen in reliquis servetur forma constitutionis Gregorii XV. hac de re editæ.

Octavo, An Conservatores Societatis, vicarios Generales Episcoporum auctoritate Apostolica per sententias, censuras & pœnas Ecclesiasticas compellere possint virtute Bullæ

Gregorii XIII. Incipien. Æquum reputamus. Dat. ultima Februarii 1573. Respondit posse à manifestis injuriis, & violentiis eos compescere, etiam censuris; & pœnis Ecclesiasticis. Dat. Romæ die 16. Aprilis 1648. Quapropter, ut præmissa firmius subsistant, & inviolabiliter observentur, Nobis pro parte Joannis Episcopi hujusmodi fuit humiliter supplicatum, ut illa auctoritate Apostolica confirmare de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur dicti Joannis Episcopi votis hac in re annuere, illumque specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eundem Ioannem Episcopum à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolvendi. & absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati præsertim responsa, seu resolutiones auctoritate prædicta tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque Apostolicæ firmitatis vim & robur adjicimus, & inviolabiliter observari mandamus, salva tamen semper in præmissis auctoritate dictæ congregationis.

§. 7. Decernentes sic, & non aliter in præmissis per quoscumque Iudices Ordinarios & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos judicari & definituri debere, ac irritum, & inane si quid secus à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus Apostolicis ac universalibus, provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus & specialibus constitutionibus & ordinationibus; nec non Ecclesiæ Angelopolitanæ ac Societatis prædictæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis & litteris Apostolicis, eidem Ecclesiæ & Societati sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac decretis etiam irritantibus, etiam motu proprio, ac etiam consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes,



habentes, illis alias in suo robore permanſuris, ad effectum præmiſſorum ſpecialiter & expreſſe derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Mariam

Majorem ſub annulo Piſc. die 14 Maji, MDCXXXVIII. Pont. Noſtri Anno Quarto.

H.

S. D. N. D. V R B A N I, Divina providentia  
Papæ VIII

C O N F I R M A T I O  
DECLARATIONIS CONSTITVTIONIS,  
C L E M E N T I S Papæ VIII.

De largitione munerum Regularibus utriusque  
Sexus interdicta.

**N**uper à Congregatione nonnullorum Romanæ Curie Prælatorum, coram dilecto filio nostro Antonio, tituli S. Petri ad Vincula, Presbytero Cardinali S. Onuphrii nuncupato majori Pœnitentiario, ac nostro in alma Vrbe Provicario in Spiritualibus generali, & nostro secundum carnem fratre germano, à Nobis deputata emanavit declaratio tenoris subsequēntis; videlicet; Cum circa interpretationem Constitutionis fel. recor. Clementis VIII sub dat. XIII. Kal. Julii, Pontificatus sui anno III. de largitione munerum, Regularibus utriusque sexus interdicta, nonnullæ difficultates & ambiguitates sint exortæ, Congregatio ſpecialiter à Sanctiſſimo D. N. Urbano, Divina providentia Papa VIII. coram Eminentiſſimo Cardinali S. Onuphrii, majori Pœnitentiario, ac Urbis Provicario deputata, auctoritate ſibi attributa declaravit, & declarat, munera à Religioſis utriusque ſexus, tribui poſſe, ex cauſis gratitudinis, conciliationis benevolentie, ejuſque conſervationis erga ipſam Religionem vel Conventum, aliſve cauſis ex ſui natura actum virtutis & meriti continentibus, modeste tamen ac discretè, & dummodo id non fiat niſi de ſuperiorum localium licentia, ac etiam cum conſenſu majoris partis Conventus, ſi talis conſenſus de jure vel ex Constitutionibus ſeu conſuetudinibus cujuſque Religionis reſpective in huiusmodi caſibus requiratur. Conſenſum verò Conventus in §. 3. ejuſdem Constitutionis ad leviora eſculta aut poculenta, ſeu ad donationem & reli-

gioſtatem pertinentia munuſcula largienda, &c. requiſitum, intelligi debere de conſenſu alias de jure requiſito, & ubi concurrit ambiguitatis ſuſpicio, qua ceſſante, nec in his requiri licentiam ſuperiorum in ſcriptis, in §. 4. ejuſdem bullæ requiſitam, ſed ſufficere licentiam etiam oretenus eiſdem conceſſam, declarat. Comeſſationes autem, comotationes, & convivia in excipiendis præſertim Benefactoribus, Proteſtoribus, vel Ordinariis honorificè, & lautè, de quibus in §. 5. & 6. ejuſdem Constitutionis, cenſeri tantummodo prohibita, ſi decentiæ ſtatus Regularis adverſentur. Reſtitutionem verò receptorum Conventibus faciendam, de qua in §. 7. ibidem cautum eſt intelligi debere de Conventibus, ad quos data, donata ſeu miſſa de jure pertinent, ſi id commodè fieri poteſt, alias Conventui ejuſdem Religionis, viciniore loco, ubi petita fuit abſolutio, reſtituantur. Inſuper eadem facultate ſibi tributa, omnes, qui hucusque adverſus ſupradict. Constitutiones, Capitula hæc moderata largiti fuerunt, vel receperunt, à poenis quibuſcumque in eadem Constitutione inſiſtis & incurſis, poſſe & debere a propriis Confeſſariis abſolvi in foro conſcientiæ, etiam non factà prius huiusmodi rerum donatarum, ſeu datarum reſtitutione. Quoad eos verò qui præter modum prædictum graviore Religionis detrimento largiendo, vel recipiendo, tranſgreſſi ſunt, ſed ob inopiam reſtituere nequeunt, eadem Sanctitas concedit majori Pœnitentiario, ut de præteritis uſque ad diem datæ præſentium, in foro conſcientiæ abſolvat, diſpenſet & condonet, ſeu abſolvi,



folvi, dispensari, & condonari mandet, prout in Domino magis expedire iudicaverit. Et ne prædictæ Clement. VIII. Constitutionis memoria dilabatur, superiores locales cujuscumque Monasterii, Conventus, Domus, ac Collegii Regularis, sub pœna privationis officii vocisque activæ, & passivæ ipso jure incurrendæ, efficere teneantur, ut in perpetuum singulis annis mense Januario, non solum prædictæ Constitutio, (quam in reliquis ejus partibus Eadem Sanctitas, omnino observari jubet, & quatenus opus sit innovat, quemcumque prætensum non usum, aut prætensum usum, seu prætenfam Consuetudinem damnando, & irritando) verum etiam hoc Decretum in aliqua publica Congregatione, vel saltem in publica mensa perlegatur. Omnibus, tam Ecclesiasticis personis etiam Regularibus quam Laicis cujuscumque sint Ordinis, conditionis, gradus ac dignitatis etiam speciali nota dignis, & qui sub generali dispositione non comprehenderentur, prædictam Clementis Constitutionem contra præsentis Decreti tenorem declarandi vel interpretandi facultate penitus interdicta, super quibus Sanctissimus mandat expediri Breve, datum Romæ die 25 Septembr. 1640. Quapropter ut præmissa firmius subsistant, & inviolabiliter observentur, quantum cum Domino possumus, providere volentes Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostra, deque Apo-

stolicæ potestatis plenitudine, declarationem præinsertam cum omnibus, & singulis in ea contentis, tenore præsentium, perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenierint, supplemus, illaque inviolabiliter ab omnibus ad quos spectat & spectabit in futurum observari, sicque & non aliter in præmissis, per quoscumque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, sublatâ, eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & desinari debere ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obstantibus quoad ea, quæ declarationi prædictæ, & præsentibus sunt contraria, vel diversa, Constitutione fel. rec. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris Nostri prædicti, ac omnibus illis, quæ idem Clemens in Constitutione hujusmodi voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo piscatoris, die 16 Octobris 1640. Pontificatus Nostri Anno decimo octavo.

*M. A. Maraldus.*

In nomine, & à Nativitate Domini, Millesimo, Sexcentesimo, Quadragesimo, Indictione octava, die verò trigesima mensis Octobris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. V R B A N I, Divina providentia Papæ Octavi, anno decimo octavo, Retroscriptæ litteræ publicatæ, & affixæ fuerunt in acie Campi Floræ, & aliis locis publicis, & consuetis, per nos Hieronymum Mascellam, & Andream Castruccium, ejusdem, Sanctissimi D. N. Cursorem.

*Ita est Hieronymus Mascella D. N. P. P. Cursor, pro D. Magistro.*

*Ita est Andreas Castruccius S. D. N. P. P. Cursor.*

Pellizzarii Manual, Regul. Tom. II.

I. C L E.



## I.

## CLEMENS EPISCOPVS,

## SERVVS SERVORVM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

**R**eligioſæ Congregationes ab inſigni Sanctitate viris Spiritus Sancti afflatu inſtitutæ, tantas Eccleſiæ Dei utilitates omni tempore attulerunt, ut ad eas conſervandas, & inſtaurandas Romani Pontifices Prædeceſſores Noſtri, magnam jure optimo diligentiam ſemper adhibuerint. Nam cum ea ſit rerum humanarum conditio, & natura, ut etiam, quæ optimè fundata, & conſtituta ſunt, partim hominum imbecillitate, & ad malum proclivitate, partim Dæmonis aſtutia, paulatim deficient, ac niſi cura pervigili ſuſtententur, in deterius prolabantur. Idcirco ſummorum Pontificum vigilantia magnopere laboravit, ut Regularium Ordinum diſciplina, aut labefactata, in priſtinum reſtitueretur, aut ſalutaribus Conſtitutionibus communita, integra, atque incolumis permaneret. Quorum nos veſtigiiſ pro eodem Officii munere inſiſtere, & Paſtoralem illorum ſollicitudinem (quantum poſſumus) Divina adjutrice gratia, cupimus imitari. Quare ne ex muneribus, quæ à pluribus Religioſæ vitæ profeſſoribus ex Chriſti patrimonio, quibuſvis hominibus quavis ex cauſa ſæpè tribuuntur, gravia incommoda, & mala, etiam boni ſpecie exiſtant, præcavere ſtudentes, hac Noſtra perpetuò valitura Conſtitutione univerſis & ſingulis cujuſcumque Ordinis mendicantium, vel non mendicantium bona immobilia, & redditus certos ex indulto Apoſtolico poſſidentium, vel non poſſidentium, ſeu cujuſvis Congregationis, Societatis & inſtituti, (non tamen Militiæ) Regularibus perſonis utriuſlibet ſexus omnem, & quamcumque largitionem, & miſſionem munerum, penitus interdiximus. ſub qua prohibitionem comprehendi volumus omnia, & ſingula Capitula, Conventus & Congr. tam ſingulorum Conventuum, Monafteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, Præceptoriarum, Domorum, & locorum quam Provincialia, aut Generalia cujuſlibet Provinciæ, ſive univerſi Ordinis, Societatis aut inſtituti, eorumque vel earum Camerarios, Commiſſarios, & quocumque Officiales & ſingulares perſonas: Ipſos etiam Ordinum,

Congregationum, & Societatum hujusmodi ſuperiores quaſcumque dignitates obtinentes, etiam Generales, & Provinciales, Magiſtros, Miniſtros, & quocumque nomine Præfectos, nec non Conventuum, Monafteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, Præceptoriarum, domorum & locorum, quorumcumque Abbates, Priores, Præpoſitos, Præceptores, etiam majores, Guardianos Miniſtros, Rectores, atque Abbaſſas, Prioriſſas, & alio quovis titulo Præſidentes, tam ipſis Regularibus, quam locorum Ordinariis, ſeu quibuſvis ſuperioribus ſubjectas utriuſlibet ſexus, ad vitam, vel ad tempus deputatos, aded ut nemo unquam eorum, directè vel indirectè, palam, vel occultè, tam communi, quam particulari, & proprio nomine, etiam ſub quovis ſtatuti, vel conſuetudinis, ſeu veriùs corruptelæ, aut alio prætextu, vel quacumque cauſa niſi in Generali Capitulo, aut alia Generali Congregatione, re mature diſcuſſa, unanimi conſenſu omnium, Superiorumque permiſſu, cauſa approbata fuerit, quicquam tale attentare valeat.

Id autem ita abſolutè, & generatim vetitum intelligatur, ut nequid omninò fas ſit quicquam donare, tam ex fructibus, redditibus, & proventibus, collectis, vel contributionibus aut obligationibus ſive eleemoſynis aut ſubſidiis certis, vel incertis, ordinariis, ſeu extraordinariis, menſæ, ſeu maſſæ communis, vel cujuſvis fabricæ, & ſacriſtiæ, quorum bona communiter, ut præfertur, adminiſtrantur, ſeu quæ rationibus reddendis ſunt obnoxia, quam ex pecuniis, etiam, quæ à ſingulis quovis modo acquiſitæ in commune conferendæ omnino ſunt. Nec ſi per viam voluntariæ Contributionis in commune congerantur. Nec ſi forſan privatim & nominatim cuilibet Religioſo à ſuis Superioribus, vel à propriis affinibus, propinquis, familiaribus, amicis, aut benevolis, vel à piis Chriſti fidelibus etiam eleemoſynæ, aut charitatis, & illius propriæ perſonæ intuitu attributæ, ſeu quoquomodo per quemlibet Religioſum ſuo Monafterio, Domui, aut loco acquiſitæ, eique ut ad libitum de eis diſponat, per ſuperiores conſeſſæ fuerint. Præterquam leviora eſculenta, aut pocu-



poculenta, seu ad devotionem vel Religionem pertinentia munuscula communi tantum, nunquam verò particulari nomine (ubi Superiori de Consensu Conventus videbitur) tradenda.

Sed & huiusmodi missiones munerum ipsi Religiosis utriuslibet sexus non solum per se, verum etiam per alios, tam directè, quam indirectè prohibitas, declaramus.

Neque verò quispiam ab hac Generali prohibitione se excusare valeat, etiam si munera miserit, cujus personæ Laicæ, vel Ecclesiasticæ cuiuscumque status, gradus, dignitatis, ordinis, vel conditionis, & quavis non solum mundana, Ducali, Regia, Imperiali, verum etiam Ecclesiastica, & Pontificali; aut alia majori etiam S. R. E. Cardinalatus dignitate fulgenti, etiam proprio loci Ordinario, etiam ex causa & occasione benedictionis, vel susceptionis habitus Regularis, tonsuræ, aut professionis Monialium tam sibi subditarum, quam non subditarum, aut ipsi etiam proprio Ordinis, vel Congregationis Prorectori, Vice protectori, Generali, vel Provinciali, aut cuiusvis Monasterii, Prioratus, Domus, aut cuiuslibet alterius loci Regularis Superiori, aut alio quocumque officio, munere, aut dignitate fulgenti, vel cuiuscumque etiam simplici & particulari Religioso: Ita ut inter ipsos quoque Religiosos (ne prava ambitione impulsus, pro contequendis in sua autem Religione gradibus, & dignitatibus, alter alterius gratiam, aut benevolentiam aucupetur) quæcumque Largitio, aut donatio munerum (nisi rebus minimarum, de licentia expressa, & in scriptis Superiorum) sit penitus interdicta. Insuper prohibemus, ne unquam eisdem Regularibus liceat ullas pecunias quoquomodo erogare in alicujus etiam Benefactoris, aut Protectoris, vel ordinarii honorem, etiam occasione transitus, vel primi ingressus, aut ad beneficiorum acceptorum memoriam, gratiæque animi testificationem, seu pro prædictis personis, quavis auctoritate, vel dignitate fungentibus honorificè, lautè & opipare excipiendis, seu pro quibusvis conviviis eisdem, aut cuiusvis alteri quacumque occasione, vel causa exhibendis, vel pro commensationibus aut comotationibus quibusvis personis, tam ejusdem Ordinis, Congregationis, Monasterii, domus, aut loci, quam extraneis largiendis, aut pro exhibendis spectaculis, etiam piis intra Ecclesias, Monasteria, & domos sacras, seu pias, vel extra eas, in quibusvis publicis, aut privatis sacris, aut profanis locis, etiam ubi Sanctorum & Sanctarum vita, aut res piæ gestæ, etiam in memoriam Passionis Dominicæ, populis spectandæ, proponuntur, aut alias in prædictis, sive in quibusvis rebus supervacaneis ad pompam & ostentationem, aut ad oblectationem, vel paucorum lucrum, & privata commoda quomodolibet pertinenti-

bus, nisi re ipsa pro divino cultu, & veris Christi pauperum indigentis, servato in hoc charitatis Ordine, & habita necessitatis ratione, de consilio & consensu Superiorum sublevandis, aut alias in rebus licitis, & per Capitulum Generale aut Provinciale non prohibitis, vel Taxam ibi forsitan præscriptam non excedentibus, sumptus huiusmodi fiant.

Declarantes tamen per hæc laudabilem, & Apostolicam doctrinam, sacrisque Canonibus commendatam hospitalitatem, præsertim erga pauperes & peregrinos, nequaquam imminui, aut prohiberi. Quinimo si quis redditus ad id, vel ex fundatione, vel ex institutis, statutis, aut consuetudinibus aliquorum Monasteriorum, Ordinum, aut Regularium, huiusmodi locorum, aut ex testatorum, vel donantium voluntatibus, sive aliis applicati, aut donati sunt, eos omnino, (ut decet) integrè in usus pios hospitalitatis huiusmodi erogandos esse, & præsertim in Monasteriis, seu locis desertis & ab laicorum ædibus, longius remotis, ubi tamen pauperum & verè egenorum ratio, inprimis habeatur.

Si quos vero ditiores occasione transitus, sive aliis ex devotionis, aut necessitatis causa eò divertere contigerit, eos sanè deceret Refectorio communi cum Religiosis, mensaque & ferculis communibus, nequaquam à cæteris distinctis contentos esse. Verum omnino ipsi regulares in hospitibus huiusmodi potentiorebus excipiendis ita se gerant, ut in eis frugalitas & paupertas religiosa prorsus eluceat.

Pari etiam ratione districtè inhibemus, ne quispiam ex prædictis laicus aliis, quam ut superius dictum est, vel Clericus sæcularis, vel Regularis quocumque honore, præ eminentia, nobilitate, aut excellentia, etiam S. R. E. Cardinalatus dignitate præditus, etiam Prorector, Viceprorector, loci Ordinarius, Prælat, Generalis, Provincialis, aut Monasterii, domus, vel loci cuiuslibet Superior, eorumve affines, propinqui, familiares, aut Ministri utriuslibet sexus quicquam contra hanc superius expressam prohibitionem recipiant.

Quod si vel ab aliquo particulari Religioso, vel à Superiore quopiam Generali, Provinciali, aut alio quocumque officio fungente, aut à Conventu, Capitulo, vel Congregatione, sive ab universo Ordine, & Religione quicquam receperint, id quod acceperint, suum non faciant. Verum ipso facto absque aliqua monitione iudicis, decreto, sententia, aut declaratione, ad illius restitutionem omnino in utroque foro teneantur: adeò ut restitutione ipsa realiter non facta, neque etiam in foro conscientie absolvi possint.

Hanc autem restitutionem fieri volumus non privatim ei Religioso, qui donavit, sed ei Monasterio, Domui, vel alteri loco, de cuius

vij E e bonis



bonis facta est largitio, vel si non de ejus bonis donatum, in quo idem Religiosus donans Professionem emittit, vel si nomine totius Capituli; Conventus, aut Congregationis, vel universi Ordinis, seu Religionis donatio facta extiterit, pariter communi mensæ, aut missæ, cujus nomine donatum fuerit, accepta munera restituantur, nec qui donavit, nec Coventus, Capitulum, Congregatio, Ordo, aut Religio, cui restitutio facienda est, illam remittere, & iterum condonare, aut recipientem ab obligatione restituendi eximere, vel ut in pauperes eroget concedere, quoquomodo possit.

Quod si quis ex supradictis regularibus utriuslibet sexus, cujuscumque gradus, ordinis, dignitatis, ac ubilibet locorum existentibus conjunctim, cum cæteris, seu divisim nostrarum hujusmodi prohibitionum, statutorum, ordinationum, jussionum, decretorum, mandatorum transgressor fuerit, statuimus, ut omnibus, & singulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus & officiis eo ipso privatus, ac ad illa & alia similia, vel dissimilia in futurum obtinenda inhabilis perpetuo, & incapax, ac perpetua infamia, & ignominia notatus existat: & præterea privationem vocis activæ & passivæ absque ullo superioris decreto, aut ministerio, ipso facto incurrat; nec non, ultra hujusmodi poenas, etiam tanquam contra furti, & simoniæ criminum reum, tam per viam denunciationis, accusationis, aut querelæ, quam etiam ex officio procedi & incurri, condignisque suppliciis affici debeat.

Pœnis aliis à jure statutis, ac per alias Constitutiones Apostolicas, aut propria eujusvis ordinis, Congregationis, Monasterii, Domus, aut loci, statuta, vel consuetudines contra personas aliquid præmissorum committentes, forsitan decretis & inflictis, nihilominus in suo robore permanfuris.

Quocirca universis, & singulis modernis, & pro tempore existentibus locorum Ordinariis, eorumque Vicariis, & Officialibus, nec non quorumque Ordinum, Prioratum, Monasteriorum, & Domorum Superioribus etiam Generalibus, seu Provincialibus, cæterisque ad quos spectat, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, & eorum singuli, quantum ad eos pertinet, curent omni studio, diligentia, auctoritate & vigilantia, præsentem Constitutionem firmiter, & inviolatè observari, & contra inobedientes vel transgressores, condignis pœnis animadverti. Eisdem inobedientes, nec non contradictores quoslibet, & rebelles, per opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, (si opus fuerit) auxilio brachii sæcularis.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictorumque Mo-

nasteriorum, Prioratum, Domorum, Locorum, nec non Ordinum, Congregationum, Collegiorum, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, quorumcumque tenorum existant, per quæ presentibus non expressa, vel ad verbum non inserta, effectus præsentis nostræ Constitutionis impediri quomodolibet valeat, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis. Quæ omnia quatenus præmissis in aliquo adversentur, prorsus tollimus, & abrogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut præsentis literæ in Valvis S. Ioan. Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum, & in Acie Campi Floræ publicentur, affixis inibi earum exemplis, & dimissis. Quodque earum exempla, seu illorum compendia in libris quorumcumque statutorum prædictorum Monasteriorum, Prioratum, Collegiorum, Domorum, Ordinum & Congregationum (quoad Moniales, in vernaculum, & vulgarem cujusque Regionis sermonem versa) & à loci Ordinario, qui id quamprimum fieri curet, subscripta inserantur, & saltem quotannis in Capitulis sive Congregationibus cujusque earum, alta, & intelligibili voce legantur. Et nihilominus post sexaginta dies à die publicationis (ut præfertur) in Rom. Curia facienda, unumquemque citra montes, ultra montes verò post quatuor menses, perinde arceat, & afficiant, ac si cuique personaliter intimatæ, & per eos juratæ fuissent.

Quodque earum transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis; eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud, ubique adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem presentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum interdicti, prohibitionis, declarationis, inhibitionis, statuti, mandati, sublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Dat. Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, quingentesimo nonagesimo quarto, Tertio decimo Kal. Julii, Pontificatus Nostri anno tertio.

*L. Card. Prodat.*

*M. Veltorius Barbianus.*

*A. de Alexiis.*

Registrata apud Marcellum Secretarium.

In



In nomine, & à nativitate Domini, millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, Indictione septima, die verò secunda mensis Iulii, Pontificatus Sanctiss: in Christo Patris D. N. D. Clementis, Divina Providentia Papæ VIII. Anno Tertio, Retroscriptæ litteræ publicatæ, & affixæ fuerunt in Acie Campi Floræ, & aliis locis publicis & consuetis per nos Prosperum Spada, & Franciscum de Bonis, ejusdem S. D. N. Curiff.  
Ita Franc: de Bonis, S. D. N. P. P. Curiff.

*Gabriel Savarellus Cæsarem Magistr.*

## K.

DECRETA S. CONGREGATIONIS  
Concilii S. D. N. Urbani Divina Providentia  
Papæ VIII. auctoritate edita.

*De celebratione Missarum.*

**C**um sæpè contingat in quibusdam Ecclesiis, tam magnum missarum celebrandarum numerum, ex variis defunctorum relictis, aut piorum eleëmofynis, impositum esse, ut illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri; & tamen nova onera missarum in dies suscipiantur, indeque fiat, ut depereant piæ testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violeatur, defunctorum animæ suffragiis priventur, Ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac Christi fideles gravi scandalo affecti, plerumque à similibus charitatis operibus retrahantur: cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quod iis, qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illis brevi ad pauciorum numerum à superioribus reductum iri, aut quod Ecclesiis sorte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera Missarum, absque illo emolumento, aut quod eleëmofyna pro illis celebrandis, sit adeo tenuis, ut non facile inveniantur, qui velint huic se muneri subicere, & redditus Ecclesiæ, aut Monasterii adeo exigui, ut sacerdotes pro necessaria sustentatione novis se oneribus obstringere compellantur Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, animadvertens facturam se rem DEO gratissimam, charitatique, ac justitiæ maximè consentaneam, si pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum è Christiana Republica convellere, atque eradicare: Sanctissimi Domini Nostri Urbani, Divina providentia Papæ VIII. auctoritate sibi specialiter attributa, infra scripta decreta edidit.

Ac primò dillicte prohibet & interdicit,

ne Episcopi in Diocesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alia quomodo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine foundationis: sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perspectâ, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur: alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujusmodi, si quas, contra hujus prohibitionis formam, fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.

Deinde ubi pluribus Missis etiam ejusdem qualitatis celebrandis, plura stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum, Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Congregationibus, Domibus, ac locis piis quibuscumque tam sæcularibus, quam regularibus. S. Congregatio sub obtestatione Divini Iudicii, mandat, ac præcipit, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleëmofynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant; quin imò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.

Id verò ut deinceps observetur exactius, Sacra Congregatio eadem auctoritate revocat privilegia, & indulta omnia, quibusvis personis, Ecclesiis, ac locis piis tam sæcularibus quam regularibus cujuscunque Ordinis, Congregationis, instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel anniversariorum celebratione,

vij E e 2 aut



aut aliquibus collectis, seu orationibus plurimum Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat. Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia remove volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam, cum certa eleemosyna; ne eandem alteri, certâ eleemosynâ sibi retentâ celebrandam committat.

Præterea, nec in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sibi Sacerdotes in eis, ut par est, adimplerent tepidiores, ac segniores reddantur, quod onera huiusmodi, cum nulla, aut parva, sint utilitate conjuncta, statuit atque decernit, ut pecuniæ ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac locis omnibus, tam sæcularibus, quam regularibus, atque illorum personis, in futurum simpliciter acquirenda, cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, ipso facto incurrenda, à die realis acquisitionis, statim deponi debeant, penes Ædem Sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam ad effectum, illa, seu illorum pretium quamprimum investiendi, in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur, ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienare contigerit, eorundem pretium sub eadem pœna, ut supra, deponi, atque in aliis bonis stabilibus ibidem fructiferis, cum ejusdem oneris repetitione atque annexione converti debeat.

Ad hæc S. Congregatio, quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, nec non omnibus & singulis Ecclesiis, ac piorum locorum, tam sæcularium, quam Regularium superioribus, vel aliis ad quos pertinet, districtè prohibet, ne impostorum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum: sæculares quidem sine Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii: Regulares verò sine Generalis vel Provincialis consensu & licentiâ, in scriptis, & gratis concedenda, alioquin sæcularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso: Regularis verò, pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis, ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ & passivæ absque alia declaratione, incurrat. Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant: alioquin omninò abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam spontè oblati in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione, illa Eleemosyna

pro Missis, vel alia simili sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur. Episcopus vero, seu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentiâ pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirent de singulis Missarum celebrandarum obligationibus, cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut loco pio incumbentibus, nec antea assensum huiusmodi aut licentiâ præbeant, quam eis legitime constiterit, illius sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis jam susceptis satisfacere posse, præcipuamque rationem habeant, ut redditus, qui Ecclesiis, & locis piis relinquuntur, omninò respondeant oneribus adjunctis, secundum morem cujusque civitatis, vel Provinciæ, intelligantque si in re tanti momenti desides aut negligentes fuerint, in novissimo die se hujus prætermissi muneris, rationem esse reddituros.

Postremo, Illustrissimi Patres non sine gravi animi dolore intelligentes mala ferè omnia, quæ regularem disciplinam evertunt, ac præcipuè nimiam hanc facultatem fovent in oneribus Missarum, supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice pullulare ex majori Regularium numero, quam ferant redditus & eleemosynæ cujusque Monasterii: inherentes summorum Pontificum ac Sacri Concilii Tridentini decretis hac de re editis, S. D. N. auctoritate præcipiunt, ac mandant omnibus & singulis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, & quibuscumque aliis superioribus Monasteriorum, Conventuum, ac Domorum regularium, bona immobilia possidentium, vel non possidentium cujuscumque Ordinis, Congregationis & instituti existentium, intra fines Italiæ, & Insularum adjacentium, ut singuli, ad quos pertinet, in qualibet Provincia, adhibitis duobus aut tribus regularibus sui Ordinis vel Congregationis, probatoribus, & rerum usû peritoribus, bona immobilia, census, redditus, proventus omnes, consuetas item eleemosynas, & obventiones, tam communes Monasteriorum, Conventuum, & Domorum ejusdem Provinciæ, quam etiam singularibus personis Religiosis assignatas, seu permissas, in communem usum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter & maturè recognoscant, iis omnibus detractis, quæ reparaciones, præstationes, grandines, sterilitates, aliæ cujuslibet generis onera consueverunt absorbere, eoque omnia scripto fideliter exarata, idem superior, cujus interest, in proximo Capitulo seu Congregatione Generali, vel Provinciali, coram tribus Iudicibus ab ipsomet Capitulo, seu Congregatione deligendis, proponat, qui computatis huiusmodi redditibus, elec-



eleëmofynis, & obventionibus univerfis & oneribus, ut fuprà, detractis, fedulo examinent, quot Religiofi homines, connumeratis etiam Laicis, aliisque neceffariis fervientibus, in unoquoque Monafterio, Conventu, & Domino regulari, juxta regionis & proprii instituti morem, victum & veftitum & medicinalia in communi habentes, competenter valeant fuffentari.

Tum eorundem bonorum, reddituum, eleëmofynarum, & onerum præcifam notam ipfimet Capitulo, feu Congregationi, exhibeant, ut in illo diligenter omnibus difcuffis, cujusque familiæ, Monafterii, Conventus ac Domus regularis in fingula quaque Provincia, certus earum tantum perfonarum numerus Patrum Capitularium voto, præfigatur, quæ redditibus, eleëmofynis, & obventionibus, ut fuperius, fufficienter ali poffint.

Ne verò superiores, qui id præftare debent, ferius aut remiffius quam par est, fuo muneri fatifaciant, mandat S. Congregatio, ut infra annum post proximum Capitulum Generale, vel Provinciale computandum, omnia hæc de genere capitulariter gefta, in authenticam formam redacta, ad facram ipfam Congregationem Concilii finguli mittant, numerumque familiæ, fingulorumque Conventuum, Monafteriorum, & Domorum hujusmodi regularium, Capituli, feu Congregationis Generalis vel Provincialis fententia & auctoritate præfinitum, iidem superiores tam Generales & Provinciales omnes, quam locales perpetuò fervare omninò teneantur, nec poffint illam quoquomodo augere, etiam prætextu augmenti reddituum absque Sacræ ipfius Congregationis Licentia. Superiores autem hujusmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præfiterint, vel numerum, ut fuprà præfcriptum quovis modo augere præfumpferint, privationis omnium officiorum quæ tunc temporis obtinebunt, vocisque activæ ac paffivæ & ad omnia fuæ Religionis officia & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipfo incurrere, atque aliis etiam gravioribus à Sede Apostolica infligendis pœnis S. Congregatio subjacere voluit & declaravit. Deinceps verò Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio vel Societas Religioforum feu Regularium, nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requifita, in fingulis ejusmodi locis duodecim faltem fratres, aut Monachi, feu Religiofi degere, & ex redditibus & confuetis eleëmofynis, detractis omnibus, ut fuprà, detrahendis, competenter fuffentari valeant, ad præfcriptum decreti fel: recor: Gregorii XV. hac de re editi, alioquin Monasteria, & loca hujusmodi post hac recipienda, in quibus duodecim Religiofi, ut fuprà, fuffentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint, ordinarii loci visita-

tioni, correptioni, atque omnimodæ jurisdictioni fubjecta effe intelligantur.

Porro ne ullo unquam tempore in oblivionem, feu defuetudinem abeant, superiores locales cujusque Monasterii, Conventus, Domus regularis curare, atque efficere teneantur, sub pœna privationis officii, vocisque activæ & paffivæ ipfo facto incurrenda, ut in perpetuum, sexto quoque Mense, id est, Feria fecunda post primam Dominicam Adventus, & Feria sexta post Octavam Corporis Christi, præfentes Ordinationes in publica menfa perlegantur, omnibus tam Ecclesiasticis perfonis cujuscumque fint ordinis, conditionis & gradus, quam Laicis, quocumque honore, ac potestate præditis, præfentia decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdifta.

Non obstantibus, quoad fupradicta omnia & fingula, in præfentibus Decretis contenta, Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque perfonarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, Militarium, etiam S. Ioannis Hierofolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius instituti, etiam neceffariò & in individuo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque, tam fæcularium quam regularium locorum, nec non illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & confuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis etiam, Mari magno, feu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis, aliisque efficacioribus, & infolitis claufulis, nec non irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa fcientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, feu extensionis concessis & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiam si pro illorum fufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, fpecialis, & individua ac de verbo ad verbum, non autem per claufulas generales, mentio, feu quævis alia expreffio habenda, aut aliqua alia exquisita forma fervanda effet, tenores hujusmodi, ac fi de verbo ad verbum nihil penitus omiffio, & forma in illis tradita obfervata infert forent, præfentibus pro expreffis habens, quibus quo ad ea, quæ præfentibus adverfantur, illis alias in fuo robore permanfuris, Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate, fpecialiter, & expresse derogat; cæterisque contrariis quibuscumque.

Et ne præmifforum ignorantia à quoquam prætendi poffit, voluit eadem S. Congrega-



tio, ut præsentibus Ordinationes, in valvis Basilicarum S. Ioannis Laterani, & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in Acie Campi Floræ, ut moris est, affixæ, omnes, ad quos pertinet, ita arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent; Utque earundem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ, in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem prorsus fides adhibea-

tur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ, die 21 Iunii, 1625.

*Cosmus Cardinalis de Torres.*

Loco ✠ sigilli.

*Prosper Fagnanus Sacr. Congr. Secr.*

Anno D. N. Jesu Christi, millesimo, sexcentesimo, vigesimo quinto, Indictione octava, Pontificatus autem in Christo Patris, & D. N. D. Urbani, Divina providentia P. P. Octavi, anno ejus tertio, die verò vigesima secunda mensis Septembris, superscripta Decreta affixa, & publicata fuerunt, ad valvas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in Acie Campi Floræ, ut moris est, per nos Camillum Fundatum, & Fabium Emilianum, Sanctissimi D. N. PP. Curf.

*Brandimartes Latinus Prælibati Sanctissimi D. N. P. P. ac S. Rom. & Universalis Inquisitionis Cæsar. pro Mag. D. D. Curf.*

L.

## D E C R E T A

Pro reformatione Regularium, tam Monachorum, quàm Mendicantium cujusque Ordinis & Instituti.

CLEMENS PAPA VIII.

1. **N**illus omninò prætextu cujuscumque privilegii, vel superioritatis, etiam Generalatus, à Servitio Chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus, superiores iis tantum diebus, quibus eos legere aut prædicare contigerit, dispensare possint: Idem quoque præstare valeant cum ægrotis, & studiorum causa legitime impeditis. In eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari poenitentia Superiores animadvertant ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum, alimenti etiam, si opus fuerit, subtractione.

2. Lectio Sacræ Scripturæ, vel Casuum conscientie bis in hebdomada, præscriptis diebus in singulis Monasteriis, & conventibus habeatur, ad quam fratres omnes conveniant, eaque absoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam, sese utiliter exercent.

3. Quò Trid. Concil. Decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, Præcipitur, ut nullus ex fratribus, etiam si Superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, census, elemosinas, sive ex concionibus sive ex lectionibus, aut pro Missis, tam in propria Ecclesia, quàm ubicumque celebrandis, aliove ipsorum iusto labore, & causa, & quocumque nomine acquisita, etiam si subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere possit: sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit.

4. Neque Superioribus, quicumque illi sint, ullo pacto liceat eisdem fratribus, aut eorum alicui bona stabilia, etiam ad usum fructum, vel usum, administrationem, aut com-



commendam, etiam depositi, aut custodiae nomine concedere.

5. Eorum verò, quæ ad necessitatem concessa erunt, nullus quicquam possideat, ut proprium, neque ut proprio utatur.

6. Qui in præmissorum aliquo deliquerit, penas, nedum à Conc. Trid. præscriptas, sed alias quoque multo graviores, superiorum arbitrio imponendas, incurrat.

7. Nulla quorumcumque Superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia, vel mobilia fratres excusare possit, quò minus culpæ & pœnæ ab eisdem Concilii Decretis, impositæ, & ipso facto incurrendæ obnoxii sint, etiam si superiores asseverent huiusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus.

8. Fratrum vestitus & supellex cellarum ex communi pecunia comparetur, & omnino uniformis sit fratrum & quorumcumque superiorum, statuique paupertatis quam professi sunt, conveniant: ita ut nihil superflui admittatur, nihil etiam quod sit necessarium, alicui denegetur.

9. Quæcumque fratrum vestes, sive laneæ, sive lineæ, omnisque alia supellex in aliquem commodum Conventus locum deferantur, ibique ab uno, vel duobus fratribus huic muneri deputatis diligenter custodiantur, ut inde superioris arbitrio prout unicuique opus fuerit, subministrari oportune possint.

10. Omnes etiam Superiores, quicumque illi sint, eodem pane, eodem vino, eodemque obsonio, sive eadem (ut ajunt) pitantia in communi mensa prima, vel secunda, nisi infirmitatis causa impediti fuerint, vescantur, neque singulare aliquid, quod privatim quisque in cibum utatur, ullo modo afferri possit, si quis in ea re peccaverit, nihil ea die alimenti percipiat, nisi panem & aquam.

11. Superiores omnes, etiam Generalis, qui redditus aut præstationes peculiare ratione officiorum habent, eorum accepta, & expensâ in libro distincto fideliter, & diligenter adnotari curent, neque in alios usus, quam ratione officii sui necessarios quicquam expendant. Cum verò contigerit ipsos in aliquo Conventu commorari, eam pecuniæ quantitatem in commune conferant, ex qua sibi, & iis, qui secum erunt, victus, ad præscriptum Regulæ & Constitutionum suppeditetur.

12. Nullus ex Superioribus locorum, administrationem bonorum, aut aliarum rerum dispensationemque pecuniarum, & reddituum sui Conventus, etiam nomine Conventus, per se ipsum habere sive exercere possit, sed universum id onus tribus fratribus ejusdem Conventus à Generali ita demandetur, & unus rerum & bonorum reddituumque colligendum, ac exigendorum curam habeat; alter

tanquam Depositarius, pecunias ac cætera ab illo collecta, & exacta, fideliter afferret; alius de pecuniis & rebus à Depositario acceptis, Priori & fratribus ac Conventui universo de necessariis, mandante tamen ipso Priore, non secundum proprium affectum, sed juxta charitatis regulam, veluti bonus dispensator, provideat, officiorum huiusmodi confusione penitus interdicta.

13. Cæterum hi tres tam impensi quam accepti singulis mensibus Superiori locali adhibitis etiam duobus, vel tribus fratribus ejusdem Conventus probatoribus, rerumque usu peritis, rationem reddant. Deinde ipsemet rursus præsentibus Priore & peritis prædictis, Generali cum advenerit; denique ipse Generalis, in quolibet proximo Capitulo Generali saltem coram tribus Iudicibus, & ab ipso Capitulo ad hoc constitutis, illorum omnium, universamque suæ administrationis tam publicæ quam privatæ rationem reddere teneatur, cujus etiam exemplum authenticum ex actis Capituli describatur, ad hoc, ut ad omne mandatum Nostrum vel Sedis Apostolicæ, Romam transmitti possit.

14. In unoquoque Conventu fratrum, is tantum deinceps constituatur, & in posterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius propriis, vel ex communibus consuetis, vel etiam singulorum elemosynis, aliisve quibuscumque obventionibus in commune (ut præfertur,) conferendis, commodè possit sustentari: redditus verò & supradicta omnia, in communi loco ac tuto, diligenter afferrentur,

15. Superioribus autem, ne Concilii Tridentini, aut hæc Nostra Decreta declarare, interpretari aut relaxare ullo modo possit, omnino interdiximus & prohibemus, decernentes irritum, &c. si quis autem contra præsumpserit attentare, is eò ipso omni gradu, officioque privatus, & ad ea perpetuo inhabilis existat.

16. Nullus, nisi actu legat, vel prædicet, aliquo sui gradus privilegio gaudeat.

17. Si alicui ex necessaria causa, Generalis iudicio probanda, socius ex eodem ordine, qui illi minister concedendus erit, is nisi vigesimum quintum agat annum, & qui communi servitio sit deputatus, non concedatur, si commodè fieri potest, sit laicus conversus.

18. Ut omnis scandalorum & vagationis occasio tollatur, Conventus clausura perpetuo, ac diligenter servetur, ac propterea à Superiore janitor constituatur, qui diligentia ac morum integritate maxime commendetur: is januæ custodiendæ semper assistat, eamque nemini fratrum aperiat, nisi socium, & exeundi licentiam obtinuerit.

19. Nullus à Conventu egredi audeat, nisi ex causa, & cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à



Superiore, qui non aliter eam concedat nisi causa probata, sociumque exituro adjungat, non petentis rogatu sed arbitrio suo, neque eundem sæpius. Licentiæ verò generales exeundi, nulli omnino concedantur.

20. Contravenientes autem pœna gravi, etiam carceris, ad Superioris arbitrium plectantur; eandem etiam Janitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit.

21. Cum autem quis in Conventum revertitur, Superiorem iterum adibit, benedictionem recepturus, qui à Socio itineris rationem, & quid rei actum sit, diligenter perquirat.

22. Nullos fratres Romam venire Superiores permittant, nisi prius à Generali, vel protectore dumtaxat licentiam in scriptis impetraverint.

23. Si quis autem sine hujusmodi facultate Romam venire præsumpserit, voce activa & passiva biennio privatus existat, subiturus etiam alias arbitrato superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia adversus eos, qui supradictos admiserint & receperint, sine ulla exceptione locum habeant.

24. Habeat Superior clavem ita fabricatam, ut cum sibi videbitur cellas omnes referare possit, & propterea nullus cellam, etiam noctu, ita claudat, quin semper à Superiore possit aperiri.

25. In medio Dormitorii totam noctem lampas colluceat.

26. Nullus etiam Superior, cellas, sive in claustro, sive alibi separatas à communi dormitorio habeat, sed unusquisque unica cella, eadem cum cæteris aliorum fratrum conjuncta, nudis omnino parietibus, ac lecto, & mensa humilibus, uniformique suppellectili (ut præfertur) quemadmodum Religiosos decet, contentus sit; possit tamen Generalis alicui ex Superioribus Conventuum, si eorum muneris, & officij necessitatem id exigere cognoverit, alteram etiam cellam concedere.

27. Cellæ, sive ædiculæ, quæ extra dormitorium separatim sunt, ad officinas, aut alias ad communem usum & commoditatem Conventus redigantur.

28. Sigillatim suo quisque lecto cubet, neque ullibi duo eodem lecto dormire possint; qui omnes ad certam formam redigendi erunt.

29. In privatis cellis nulli camini permittantur: sed omnes obstruantur statim, cardinalibus etiam à parietibus convulsis, ut res illa non ad tempus facta, sed perpetuò duratura videatur, cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris, ac Prædicatoris exceptis.

30. Conventus fenestræ omnes, quæ in vias publicas, aut in vicinas laicorum ædes prospiciunt, muro ita obstruantur, ut omnino is prospectus impediatur.

31. Valetudinarium in singulis Conventi-

bus certo, ac salubriori loco constituatur, quod pro loci situ ac fratrum numero, quoad fieri poterit commodissimum esse possit, in quo fratres omnes, cum ægrotabunt, curentur, nec inde nisi recuperata sanitate abire permittantur. Qui verò infirmorum curæ præpositi sunt, omni sedulitate, ac charitate operam suam præstent, ac curabunt, ne quid ægrotis omnino defuit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat.

32. Incatur ratio, qua sublatis licentiis, ac facultatibus hæcenus quibuscumque concessis, degentes extra Conventus claustra, ad ea quamprimum revocentur, nec de cætero, nisi ex gravissima causa à Sede Apostolica probanda, hujusmodi facultates concedi possint.

33. Nulli impostero ad habitum aut professionem admittantur, nisi in Conventibus per Sedem Apostolicam in qualibet Provincia deputandis.

34. Curent Superiores, ut Constitutio interdicens largitiones munerum, & præscribens hospitalitatis formam ab omnibus in quolibet Conventu inviolabiliter observetur.

35. Ut omnis officiorum ambitus occasio præcludatur, caveant omnes à directa, vel indirecta vocatione, seu suffragiorum procuracione, tam pro seipsis quam pro aliis, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris præsertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi. Quicumque secus fecerint, præter alias pœnas, & censuras hæcenus contra hujusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam privacionis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur, super quo cum eis dispensari à nemine possit, nisi à Nobis, vel Successoribus Nostris, & pro qualitate culparum gravius etiam plectantur. Porro supradictas omnes pœnas ad complices, ac simpliciter scientes, & non revelantes extendimus.

36. In superiorum & officialium omnium electionibus, forma præscripta à Sacro Conc. Trid. & Ordinis constitutionibus inviolabiliter servetur, jurentque Electores, secundum veritatem cujusque conscientiæ, probiores ac magis idoneos se electuros, ac propterea priusquam ad electionem deveniatur, in primis & ante omnia prælegantur constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum. Ad officia, gradus & Prælaturas, illi præcipuè eligantur, qui possint & consueverint regulas Ordinis, & Constitutiones observare, præsertim quæ pertinent ad servitium Chori, ac vestitum & victum communem.

37. Eligantur in Capitulo Generali, vel Provinciali, aliquot graves & periti, ex fratribus cujuslibet Provinciæ, saltem tres, qui admittendos ad prædicationem verbi DEI, vel ad audiendos confessiones, etiam ipsorum fratrum,



fratrum, ac Lectores publicos diligenter simul examinent priusquam probentur, & ad huiusmodi ministeria admittantur. Horum etiam curæ sit examinare, & probare, tam quoad doctrinam, quam quoad mores promovendos ad quoscumque Ordines, in quo servetur Decretum Congregationis Interpretum Sacri Concilii Tridentini, hac de causa nuper editum, & promulgatum.

38. Illud porro superiores omnes in Domino admonemus, ut memores sint rationis, quam in novissimo die reddituri sunt pro grege sibi commisso, ac præterea omni studio invigilent, ut quæ in eorundem Ordinum Regulis, & Constitutionibus de oratione mentali, silentio, Ieiuniis, Capitulo culparum, aliisque spiritualibus exercitiis prudenter, ac piè sancita sunt, ea omnia, & singula ad unguem observentur, intelligantque super his veluti fundamentis omnium Religionum ædificia conservanda, & amplianda esse, quæ ut faciliorem exitum fortiantur, & fructus uberioris in animis Fratrum producant, valde opportuna erit, si in quolibet Conventu, singulis hebdomadis habeatur sermo de religiosa disciplina regularique observantia.

39. Quo verò omnia ordinate peragantur, appendatur tabella in loco conspicuo uniuscujusque Conventus, in qua distinctè adnotetur, quid singulis horis cuiusque diei, quilibet frater præstare debeat, ut certo quoque signo præmonitus, majore animi præparatione suo muneri satisfacere possit. Quæ Ordinis Constitutiones, his Decretis non adversantur, inviolatè custodiendæ erunt.

40. Quibus horum Decretorum capitibus certa pœna præscripta non est, arbitrio Generalis vel alterius immediati Superioris, infligatur. Ut autem hæc Decreta, (donec alia quæ pleniorè reformationem facient, edantur) ab omnibus observari possint, districte præcipimus Generalibus, ac omnibus aliis quibuscumque Superioribus, ad quos hoc spectat, ut curent, ac efficiant ea omnia inter alias eorundem Ordinum Constitutiones perpetuò valituras redigi, interdicta omnino eorum singulis facultate illas declarandi, & adversus eas unquam dispensandi. Alioquin sciant se in pœnam Generalatus & Officiorum privationis, ac inhabilitatis perpetuæ, ad alia quoque munera ipsò facto, & sine ulla exceptione respectivè incidisse.

41. Ne verò prætextu dilatæ publicationis eorum observatio, quoquomodo differri possit, aut impediri, volumus, ut post illorum publicationem in Conventu, vel Monasterio cujuslibet Ordinis de Vrbe factam, Generalem, aliosque Ordinum Superiores, cæterosque quoscumque fratres præsentis, statim: reliquos verò absentes citra montes, unius mensis; ultra montes, trium mensium spatio ita arceant, ac si eorum singulis personaliter intimata fuissent.

Insuper mandamus, quod Generales in singulis Conventibus, citra montes, unius mensis, ultra verò montes, trium mensium cursu Decreta supradicta publicari faciant, sub pœna privationis Generalatus, aliisque arbitrio nostro imponendis. Dat. Romæ apud S. Petrum, die 25 mensis Junii 1599.

Decretum illud, quo fratres Romam petere cum Generalis, & protectoris licentia duntaxat permittitur, Sanctitas Sua extendit ad Provinciales: ita ut Provincialis ipse ex causa communi totius Provinciæ duntaxat facultatem huiusmodi facere valeat, declaravitque pœnam privationis vocis activæ, & passivæ contrafacientibus inflictam Sanctitati Suae reservatam esse, interdicta omnino eorum Superioribus singulis, etiam Generali ac Protectori facultate, illam moderandi, ac relaxandi. Datum Romæ, die 20 Martii 1601.

## M.

### Decretum fel. rec. Clement. Papæ Octavi, super casuum reservatione ab omnibus Regularium Superioribus observandum.

**S**anctissimus Dominus noster, qui jam pridem accurate perpendit, ac reipia comperit, quod reservatio facultatis absolvendi Religiosos pœnitentes à peccatis quibusdam gravioribus, nisi superiores admodum pru-

denter, ac moderate illa utantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientie maculas detegere formidant, adducere possent in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedii desperationem: idèò, ut huic malo Sanctitas Sua opportune prospiceret,



ret, decrevit, ut nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi referret, exceptis iis quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire prudenter in Domino iudicaverint.

Veneficia, Incantationes, fortilegia.

Apostasia a Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eò pervenerit, ut extra septa Monasterii seu Conventus fiat egressio. Nocturna, ac fugitiva è Monasterio, seu Conventus egressio etiam non animo apostatandi facta.

Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.

Iuramentum in Iudicio regulari seu legitimo.

Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum factum, etiam effectu non sequuto.

Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterii, aut Conventus. furtum de rebus Monasterii seu Conventus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.

Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.

Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio, cujusque personæ.

Malitiosum impedimentum, aut retardatio aut aperitio literarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

Si quod aliud præterea peccatum grave pro Religionis conservatione, aut pro conscientie puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generali Capituli in toto Ord. aut Provinc. in provincia, matura discussione, & consensu.

Non liceat Superioribus Regularibus con-

Sanctitas Sua deinceps declaravit & declarat, ut si huiusmodi Regularium Confessariis casus alicujus reservati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii illa vice poenitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, absolvere.

fessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi spontè ac proprio motu id ab iis petierint.

Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero, majori vel minori. iique sint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui à non reservatis eos absolvant, & quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Coconfessarius iudicaverit.

Tam superiores pro tempore existentes, quàm Confessarii, qui ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

Licebit tamen Superioribus determinare poenitentias graves quibusdam peccatis, etiam non reservatis à Confessariis imponendas, quæ subditos ab huiusmodi perpetrands cohibere possint.

Atque ita per quoscumque Regularium Superiores, quicumque illi sint, observari mandavit. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac cujusvis Concilii, & etiam generalibus Decretis, nec non consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore observatis, aut Regulis in generalibus, seu provincialibus Capitulis editis, statutis, & Constitutionibus etiam Apostolica auctoritate confirmatis privilegiis, indultis & confessionibus quorumcumque, quorum tenores hic pro expressis haberi voluit, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Petrum, die 26 mensis Maji, anno Domini 1593.

N.

DECRETVM

Super forma recipiendi Novitios Regularium ad habitum & Professionem.



Sanctissimus in Christo Pater & D. N. D. Clemens, Divina providentia Papa VIII. qui aliàs pro Regularis disciplinæ restitutione, singulis regularium Ordinibus, (quibusdam exceptis,) prohibuit, ne

ad Regularem habitum Novitios in posterum reciperent, receptosve ad professionem admitterent, quousque in aliquibus cujusvis Ord: Monasteriis seu Conventibus (in quibus Novitiatus pro recipiendis & educandis Novitiis, designarentur & approbarentur) ad  
ejus,



ejus, quam professi sunt Regulæ præscriptum, vitam, moresque restituerent & componerent, certior deinde factus, quosdam omnium fere Ordinum Conventus, seu Monasteria, ad pristinam illam regularem vivendi formam & disciplinam, quam diutius desideraverat, fuisse redacta: in eisdem Monasteriis, & Conventibus, ut Novitiatus erigi, Novitiique recipi possent (sub certis tamen legibus, ac ea præsertim, ut licentia à Congreg. Reformationis Apostolicæ prius obtenta esset) concessit, & ad illa designavit, & approbavit. Hinc volens, ut ea, quæ pro Novitorum receptione, & institutione, de mandato Sanctitatis Sux præscripta fuerunt, in posterum accuratius, & exactius observentur, ultra formam traditam in Constitutionibus sël. rec. Sixti Papæ V. etiam Sanctitatis Sux super receptione Novitorum; decrevit, ac præsentis Decreti virtute mandavit, ne in Conventibus, seu Monasteriis ad Novitios recipiendos, de Sanctitatis Sux, seu dictæ Congregationis Reformationis licentia hæcenus designatis & approbatis, seu in posterum designandis & approbandis, Novitii ad habitum recipi ullatenus possint, vel admitti, nisi prius ab ipsa Congreg. vel à propriis locorum Ordinariis, aut ab illis in quorum Diocesi Novitiatus existunt, in quibus Novitii recipiendi fuerint, expresse, & nominatim Novitii ipsi recipiendi approbati fuerint, & ut recipi & admitti possint, licentiam in scriptis (gratis tamen in omnibus etiam quoad scripturam concedendam) obtinuerint. Monet autem Sanctitas Sua

eosdem Ordinarios omnem curam & diligentiam adhibere, ut circa ætatem, conditionem, educationem, scientiam, vitam, & mores, cæterasque qualitates in ipsis Novitiis requisitas, observentur institutiones pro illis recipiendis ab eadem Congreg. Reformationis factæ & publicatæ, neque aliter, nec alio modo aliquem ad habitum recipi permittant; Ordinarium ipsorum conscientiam onerando, si quempiam approbaverint, vel admitti permiserint, qui non sit idoneus & juxta constitutiones, & institutiones prædictas, approbandus & admittendus. Firmis nihilominus remanentibus pœnis omnibus contra Superiores quorumcumque Ordinum qui in admittendis ad habitum & professionem, Novitiis, formam constitutionum, & institutionum prædictarum non servaverint, aut Novitium aliquem, quantumvis idoneum & approbatum, in quovis alio Conventu, & loco, seu Monasterio, præterquam in hæcenus à Sua Sanctitate, vel à dicta Congreg. designatis & approbatis, seu in posterum designandis & approbandis, vel ultra numerum in eorum singulis præscriptum, seu præscribendum receperint, vel admiserint, seu alias præmissis quovis modo contrafecerint. Irritum ex nunc & inane decernens quicquid sœcus, vel alias quavis auctoritate à quovis gestum vel attentatum fuerit. Non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ, apud S. Petrum, die 19 Maji, 1602. Pontificatus ejusdem S. D. N. anno undecimo.

## O.

## I N S T I T U T I O N E S

super receptione & educatione Novitorum Religiosorum in Monasteriis & Conventibus designatis, vel designandis, CLEMENSIS ejusdem jussu editæ.



Vm ad regularem disciplinam in singulis Religiosorum Monasteriis propagandam; Novitorum institutio maxime utilis sit, ac necessaria, & nihil ad gravem illam, ac laudatissimam præcorum Patrum, vivendi rationem relaxandam, majorem vim habuisse, compertum sit, quàm vel nimium in recipiendis Novitiis facilitatem supra numerum, quem capere, atque alere Monasteria ipsa possent,

vel negligentiam in probando & examinando eorum spiritu, an verè esset ex DEO, atque ex præcipuo illi inserviendi, vel denique incuriam in eis educandis atque instituendis. Idecirco, ut hujusmodi incommodo deinceps occurratur, præcipitur omnibus, & singulis, ad quos spectat, ut in recipiendis Novitiis, & in eorum institutione, atque educatione, nec non in ministri & aliorum ministrorum electione, præter alia quæ in Sacris Canonibus,

ac



ac Decretis, præsertim Concilii Trid. Pontificiis, & cuiuscumque Ordinis, aut instituti constitutionibus continetur, tam in aliis designatis, quam nunc, & in posterum ad hoc designandis Monasteriis, & Conventibus, hæc, quæ sequuntur, inviolatè observari, & exequi perpetuò curent.

Primum, quod attinet ad Novitiorum recipendorum formam, ultra diligentem perquisitionem, quæ habenda erit de uniuscujusque natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita antea, ac præcipuè eorum, qui sex-tum decimum ætatis suæ annum excedent, an criminosi, an ære alieno gravati, vel reddendæ alicujus administrationis rationi obnoxii sint, juxta formam constitutionis sel. rec. Sixti V. & moderationum subsecutarum. Illud etiam Superiores ad quos spectabit, sedulo perquirant, ut quibus in Monasteriis, & Conventibus, ex Apostolica facultate Novitiatu fuerint instituti, in iis ad Religionem nullus in posterum admittatur, qui & ex honestis parentibus natus non sit, & conditiones sacris Canonibus, Summorumque Pontificum constitutionibus præscriptas non habeat, juxta Decretum super forma recipendi Novitios, die 19 May, 1602 editum.

Quisque recipiendus in aliquo Ordine Regulari, etiam Mendicantium, in ea sit ætate constitutus, quam ejus Ordinis, in quo recipietur, regularia instituta, & ordinationes requirunt, eam vero literarum scientiam calleat, aut illius addiscendæ spem indubiam præ se ferat, ut minores, & suis temporibus majores Ordines, juxta decreta Sacri Concilii Trid. suscipere valeat. Sed si quis annum vigesimum quintum excedens, ad habitum regularem admitti postulerit, & talis eruditionis expertus inventus fuerit, in Conversorum tantum, quibus literarum scientia non est necessaria, numerum referatur, ipsi autem Conversi, non recipiantur ante vigesimum ætatis suæ annum, & nisi saltem præcipua Doctrinæ Christianæ capita noverint.

Demum Superiores diligenter exquirant, quo spiritu, qua mente, ac voluntate id regularis vitæ genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & ut DEO liberius famulari possint, an potius levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animo ducantur, & an eo parentes ope, & subsidio ipsorum indigentes destituantur.

Provideant quoque, ut omnes etiam Conversi recipiendi, priusquam ad habitum regularem admittantur, ab iis, quibus munus hoc incumbit, de regula, quam professuri sunt, tribus votis essentialibus, statuque regulari, & aliis cuiusque Ordinis peculiaribus institutis & constitutionibus, diligenter instruantur.

Et quia quarundam Religionum moris est, nedum conversos ad professionem admittendos, verum & Oblatos, ut vocant, recipere, circa ipsorum Oblatorum receptionem unaquæque religio suas peculiare Constituciones, specialiaque instituta, observare teneatur.

Statim atque Novitii ad habitum recepti, & in locum Novitiatu introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confessionem totius antea vitæ conscientiam discutiant & expurgent.

Quod vero ad loci qualitatem uniuscujusque Novitiatu spectat, locus hujusmodi propria clausura ab ea parte Conventus, & Monasterii, in qua degunt professi, segregatus sit, atque distinctus, habeatque tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero Novitii, vel dormitorium ita capax, ut pro singulis singuli lectuli commode sterni possint, in quo etiam cellula, vel certus ac determinatus locus pro Magistro, ejusque socio reperiat.

In eo etiam, præter alias communes commoditates, aptus locus adsit ad spirituales collationes, seu conferentias faciendas, ac lectiones, instructionesque Magistri audiendas, & in quem hyemis tempore ad calefaciendum se igne communi recipiant.

Oratorium insuper seu Capella, si commode fieri poterit, ad Novitios in Spiritualibus, præsertim in cæremoniis, Ecclesiasticisque functionibus exercendos.

Hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem bene conclusus atque munitus adsit, sin minus, hortum cæteris fratribus communem, recreationis tempore ingrediantur. Ipsi vero Novitii ibi commorantibus, curabit Magister cum loci Superioris auctoritate (si opus fuerit) ne in eundem quisquam alius ingrediat.

Ad hujusmodi locum Novitiatu nemini ejusdem, vel alterius Ordinis regulari, etiam Conventus, & Monasterii Officiali, ullo unquam tempore, sub quovis prætextu aditus pateat, præterquam Magistro ejusque socio, ac etiam Monasterii aut Conventus Superiori, si quodcumque ingrediendum sibi necessario existimaverit; quo tamen casu aliquem semper ex senioribus Conventus vel Monasterii Patribus socium assumat.

Hujus loci clausuræ clavis apud Magistrum semper asservetur, illique soli liceat ex gravi tantum causa ingressum illuc alicui permittere: si quis autem Novitiorum quempiam alloqui voluerit, Magistro præsentè, & non aliter alloquatur.

Novitiorum Magistro socius, si per Novitiorum instruendorum multitudinem, necessarius fuerit, vita, & moribus (quoad fieri poterit) consimilis deputetur, qui in his, quæ ad Novitiatu regimen spectant, dicto Magistro imme-



immediate subjectis existat, eliganturque tam Magister, quam socius per Provinciale Capitulum, per triennium ad minus, onus hujusmodi subituri. Quod si aliquo casu extra tempus capitulare, nova loca Novitiatus concedi contingat, tunc electionem Magistri Novitiorum, & focii hujusmodi in his novis locis per Generalem, vel Provinciale, seu Ministrum, aut eorum Visitatores, seu Vicarios, de Diffinitorem tamen, vel graviorum aliorum Patrum, consensu fieri permittatur: idemque fervetur, si intra triennium, alterum, vel utrumque urgenti aliqua de causa ex illis locis amoveri, vel mori contigerit, in cuius, vel quorum locum alij consimiles subrogari debeant.

Tam Novitiorum Magister, quam socius, ab iis omnibus officiis, oneribusque vacationem habeant, quæ Novitiorum curam & regimen impedire valeant. Ipse Magister Sacerdotali ordine sit initiatus, ac in quinto saltem supra trigessimam ætatis suæ anno constitutus, & per decennium à professione emissa in Religione perseverit: Socius vero trigessimam annum excedat, sintque ambo doctrina, & quantum per Superiorum diligentiam, & vires fieri poterit, vitæ etiam antea actæ exemplo præstantes, orationis præterea, & mortificationis operibus addicti, prudentia, charitateque referti, non sine affabilitate graves, zelum DEI cum mansuetudine præ se ferentes: ab omni cordis, ac animi perturbatione, iræ præsertim, & indignationis, quæ in se, & erga alios charitatem impedire consueverunt, quam longissime alieni, & tales demum, qui in omnibus seipsos bonorum operum exemplum præbeant, ut ii, qui eorum curæ subsunt, illos non tam metuant, quam reverentur, nec illis unquam detrahere quicquam possint.

Habeat etiam Magister plenam & absolutam potestatem circa Novitiorum institutionem, ac Novitiatus regimen, ita, ut in illis nemini (Visitatoribus ac Superioribus majoribus, vel etiam localibus exceptis) quovis colore se ingerere liceat.

Curam adhibeat diligentem, ut Novitii omnes in regulari disciplina sedulo exerceantur, agnoscantque præcipuam Divinam, qua digni facti sunt, vocationis præstantiam & excellentiam, quæ vera sit, atque perfecta votorum solennium, & quam necessaria cujusque Ordinis Constitutionum observantia modum in oratione, tum vocali, tum mentali fructuose persistendi, illicitas passiones & vitia (ad quæ natura per peccatum labefacta omni tempore prona est atque proclivis) per sensuum custodiam & mortificationem cohibendi, austeritatem, jejunia, cilicia, disciplinas, conscientie puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiam confessionis præsertim, quæ bis saltem singulis mensi-

bus fiat, per aperitionem quotidianam motuum interiorum cordis, & tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnumque silentium.

Quilibet Novitius bis quotidie orationi mentali, & vocali incumbat, unusquisque secundum propriam capacitatem, & ordinem sibi à Magistro præscriptum, ac pluries in die propriam conscientiam unusquisque examinare contendat. Ipsi autem Magistro soli Novitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori, etiam locali, si ita expedire judicaverit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno eorundem Novitiorum confessiones audire.

Quotidie Missæ Sacrificio intersint, & statutis horis in Choro nocturnis, diuturnisque divinis Officiis assistant.

Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel scribant res spirituales, modestam animi recreationem interponant, quæ in solitario loco, & commodo extra Novitiatum semel in hebdomada, vel in alterius saltem hebdomadibus longior statuatur, fiatque semper Magistro præsentem vel socio, qui multum invigilent, ne duo ab aliis commorentur disjuncti, atque eo tempore, cujusque, in quam natura feratur propensionem scrutentur.

Non liceat eis, durante Novitiatus, & probationis tempore, una cum Professis, nisi in Choro, in Ecclesia tempore officiorum, in processionibus, aut cenaculo causa refectio- nis commorari, nec permittatur eis Professionis domo exeuntes comitari.

Pro communibus, & propriis cujusque necessitatibus, quæ accidere possunt, unus ex Novitiis ipsis, ætate, moribusque provectior deputetur, qui absente socio, Magistro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat, cui etiam januæ custodia, & rerum levioris momenti provisio intra Novitiatum committi poterit.

Cum autem, licet Clericorum bene instituendorum cura debeat esse præcipua, Conversorum tamen Religiosa instructio non sit prætermittenda, quin potius æquanimiter amplexanda, quandoquidem satis exploratum est, istorum etiam, cum regulam profiteantur eandem, perfectam educationem, tum Religionis decorem, & ornamentum, tum aliis Christi fidelibus ædificationem, exemplum, atque utilitatem afferre. Conversis ipsis à Clericorum Novitiatu separatus ad dormiendum locus (quantum commodè fieri poterit) assignari præcipitur. Illi tamen hac separatione non obstante Magistro Novitiorum, seu Superioribus Monasteriorum & Conventuum, juxta cujusque Ordinis Statuta, & Constitu-



riones subditi esse, & obedientiam præstare debebunt, à quo non tantum circa corporalia obsequia probandi, & exercendi, verum etiam pro eorum capacitate & commoditate, de spiritualibus, præsertim de modo mentaliter orandi, diligenter instituendi erunt; quod ut commodius fiat, ad Capitula, & spirituales Conciones, quæ per Magistros Novitiis fieri solent, accersiri debeant, & in Ecclesiis, statutis horis conveniant, nisi tunc in suis officiis actualiter occupati fuerint.

Tempore verò probationis elapso, ii tantum, qui non solum Religiosæ perfectionis capaces: sed ad laborem corporalem apti, novo, ac diligenti examine reperti fuerint (dummodo ætatis suæ annum quoad Clericos decimum sextum, quo verò ad Conversos, vigesimum primum exceßerint) ad professionem admittantur.

Sed qui ad Conversorum habitum recepti fuerint ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possunt.

Superior cujuslibet Conventus, in quo Novitiatus fuerit constitutus, particularem librum habeat, in quo uniuscujusque Novitii professio registretur, illumque Novitius professus propria manu, & duo testes, qui præsentibus fuerint, subscribant.

Conversus verò literarum ignarus, professor, in eorundem testium qui se subscripserint, præsentia propria manu signum Crucis apponat, asserveturque liber, & custodiatur in Archivio, ubi Scripturæ ad Monasterium seu Conventum pertinentes, reponi consueverunt.

Quia verò in quibusdam Ordinibus filiationis usus est receptus, declaratur, quod licet decretum sit, ut Novitiis educandis, certa Monasteria aut Conventus designata quilibet Ordo habere debeat, licitum tamen sit Superioribus Monasteriorum & Conventuum hujusmodi Ordinum, in quibus filiationis usus receptus est, eos, quos prænaratis qualitatibus suffultos repererint, in suorum locorum filios juxta cujusque Ordinis constituta adscribere, sicque adscriptos, cum juxta præsentibus institutiones & alias, servatis servandis, ad Ordines recepti fuerint, ad loca Novitiatum, cum testimonialibus literis transmittere, ut tanquam dictorum Conventuum seu Monasteriorum filii, eorundem nomine, & instantia recipi, ac in Novitiatu probari, & deinde antequam ad eadem Monasteria, seu Conventus filiationis hujusmodi remittantur in professorio, ad perfectionem, ut permissum est, exerceri debebunt.

Porro ne loca unius Monasterii, seu Conventus ab alio præoccupentur, Capituli Generalis aut Provincialis partes erunt, numerum præscribere pro omnibus, & eam similiter rationem circa alimentorum, contributi-

onem (si opus fuerit) inire, ac singulis Conventibus, & Monasteriis præscribere, quæ magis expedire videbitur.

Ut autem Novitii jam in Professorum numerum (sicut præmittitur) recepti, melius in bono spiritu, regularisque disciplinæ observantia stabiliantur & confirmantur, mandatur, ut statim post professionem emissam, si in Conventibus, aut Monasteriis pro Novitiatus assignatus locus aderit secundi Novitiatus, sive Professorii, ab ea quæ Novitiorum est, atque antiquorum Professorum habitatione distinctus & segregatus, ibi collocentur, si Monasterium, aut Conventus eos alere queat, sin minus, in alium commodiorem Conventum aut Monasterium transferantur, in quo is locus cum requisitis ad Novitiatum supernarratis reperiatur, vel accommodetur, aut de novo conservetur.

Ad hoc tamen illæ Religiones excipiuntur, quæ suarum constitutionum, seu institutorum vigore majoris temporis cursu novos profectos intra Novitiatum detinere consueverunt; quibus in hac parte non derogatur, illis tamen permittitur, ut prædictis earum constitutionibus non obstantibus, id ipsum facere possint, si id rationi, ac Religioni magis expedire judicaverint, quibus in locis degant sub regulis, & modo vivendi adhuc arctiori, quam servant antiquiores professi, ita quod in negotiis Monasteriorum aut Conventuum non se introumittere, nec communibus tractatibus interesse, neque alicujus exterioris obedientiæ officium exercere debeant, ibique permaneant, quousque ad ætatem sacris Ordinibus suscipiendis sufficientem devenerint, vel saltem per tricenarium post professionem, quo etiam tempore poterunt, quinimò & debebunt litterarum studiis operam navare sub directione ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Novitiorum Magistrum præditum esse oportere dictum est.

Declaratur tamen, quod propter præmissa non censetur concessa licentia recipiendi Novitios, nisi in locis pro Novitiatu designatis, aut in posterum designandis, & pro numero dumtaxat in eorum singulis præscripto, vel præscribendo.

Denique si illi, qui inter Religiosos gradu & ordine Superiores sunt, & alii ad quos spectat in prædictis omnibus vel eorum aliquo deliquerint, seu quovis modo contrafecerint, officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt, privationem, gravioreque pro modo admittæ culpæ poenæ, se subituros certò sciant. Datum Romæ, apud S. Petrum, die 19 Martii, 1603.

*Ant. Seneca Reform. Apost. Secr.*

Anno



Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, Indictione septima, Pontificatus autem Sanctissimi Domini N. D. VRBANI, Divina providentia Papæ VIII. Anno ejus secundo, die vero vigesima sexta mensis Octobris, supradicta Decreta, tam Sacræ Congregat. Concilii, quam San. mem. Clementis VIII affixa, & publicata fuerunt, ad valvas Basilicarum S. Ioannis Lateran. & Principis Apostolorum, nec non in acie Campi Floræ, ut moris est, per nos Camillum Fundatum, & Iulium Marzittellium Cursores Sanctissimi.

*Brandimartes Latinus pro Magistro D D. Cmsf.*

P.

D E C R E T A  
SACRÆ CONGREGAT. CONCILII,  
S. D. N. VRBANI VIII. iussu edita.

*De Regularibus Apostatis, & Ejectis.*

**S**Acra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, Regularium ejectorum, & fugitivorum statui consulere, illorumque scandala summovere, & succrescentem numerum frangere operæ pretium existimans, auditis Religionum Superioribus, neque diligentissime perpenſa, communicato etiam consilio cum S. D. N. Urbano VIII. atque ex peculiari Sanctitatis Sux facultate, infraſcripta decreta edidit.

Ac primò, ut infecta femina, è quibus pravi ejulmodi fructus potissimum prodeunt, deinceps ne serantur in vinea Domini, censuit esse innovandas, & Sanctissimi autoritate innovat Constitutiones, & Decreta generalia San. mem. Clementis VIII. ad regularium reformationem ac Novitiorum receptionem, professionem, atque institutionem spectantia, districteque præcipit Generalibus, atque aliis omnibus Ordinum Superioribus, ut illa exactè observent, atque ut observentur, efficiant, sub pænis statutis in iisdem Constitutionibus. A quibus tamen excipiendum censuit, caput illud quo decernitur, ne in Conventibus seu Monasteriis, ad Novitios recipiendos, hæcenus designatis, & approbatis, seu in posterum designandis & approbandis Noviti ad habitum ullatenus recipi possint, nisi prius à Congregatione Reformationis Apostolicæ, vel propriis locorum Ordinariis expresse, & nominatim approbati fuerint. A cuius quidem decreti observatione Sacra Congregatio, iustis de causis censuit Regulares

esse absolvendos, prout, auctoritate Sanctissimi Domini Nostri, absolvit atque exemit.

Deinde, ut apostatandi opportunitas Regularibus præripiatur, statuit, ut de cætero nulli permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi prius Superiori legitime constiterit, eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tumque regularis rectà se transferat ad arctiorem. Quod ut reipsa adimpleatur, idem Superior omni studio, ac diligentia invigilet.

Rursus statuit, ut fugitivi & Apostatæ, sive habitum regularem deferant, sive non; possint ac debeant ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres conjici, ac Superioribus Regularibus consignari, secundum regularia instituta puniendi, utque ipsi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere, ut apprehendantur; salva tamen in omnibus facultate Ordinariis locorum, attributa Decreto Conc. cap. 3. sess. 6. Quod si Apostatæ hujusmodi citra montes infra quatuor, ultra montes verò infra octo menses à præsentis Decreti publicatione, inchoandos, sua sponte ad suam quisque Religionem redierit, tum pœnarum omnium ipsis propter Apostasiam inflictarum aut infligendarum remissionem, atque impunitatem assequantur. Ita tamen, ut debeant à Superiore absolutionem humiliter petere, & coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri. Superior verò è contra benignè illos teneatur excipere, ab hujusmodi pœnis absolvere, & paterna charitate complecti.

vij E 2 Ad



Ad hæc, ut in posterum à Religionibus nullus legitimè professus ejici possit, nisi sit verè incorrigibilis; verè autem incorrigibilis minimè censeatur, nisi non solum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte statutis & Constitutionibus cujusque Religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apostolica approbatis, & confirmatis: verùm etiam unius anni spatio in Jejunio, & pœnitentia probeur in carceribus; proindeque unaquæque Religio, priyatos habeat carceres in qualibet saltem Provincia. Elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua pertinacia perseveraverit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida ac membrum putre, ejici tandem possit, sed ab ipsomet Generali tantum de consilio, & assensu sex Patrum ex gravioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus; tumque non nisi instructo secundum eorum stylum & Constitutiones, processu, & piene probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum præscriptum.

Interea tamen usque primum Generale Capitulum, seu Congregationem proximè celebrandam, si quempiam ex justis & necessariis causis expellere oportebit, ejectio fieri possit à Generali cum consilio, & assensu sex Patrum, ut supra, quos idemmet Generalis eligere debeat infra quatuor menses à præsentis Decreti publicatione: servata tamen in reliquis forma superius præscripta. Sic verò ejecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarii loci jurisdictioni, & obedientiæ subint, proindeque Generalis illico expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur. Cæterum Sacra Congregatio Religionum Superiorum seriò admonet, ac per **JESU CHRISTI** viscera obtestatur, ut, memores paternæ charitatis, & mansuetudinis, quam profiterentur, nihil intentatum relinquunt, ut lucentur animas fratrum suorum ferè in profundum malorum delapsas, antequam gravissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur. Idque eò magis, quod subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui officii immemorum Prælatorum regimine peribunt, Dominus Noster **JESUS CHRISTUS**, in supremo Dei judicio, de eorumdem Prælatorum manibus sit requisiturus.

Præterea statuit, ut iidem Superiores nemini ex Religiosis expulsis literas testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam rejicientes, vel jubentes aliam ingredi Religionem.

Item, ut ejecti extra Religionem degentes sint perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum,

sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.

Ac postremo esse innovandam, & suæ Beatitudinis autoritate innovat Constitutionem fel. record. Gregorii Noni, relata in cap. fin. de regul. ac propterea declarat, eam Constitutionem in iis quoque vendicare sibi locum, servandumque esse, qui justè, diffinitiveque, ac juris Ordine servato expulsi fuerint, dummodo tamen in expulsis hujusmodi subsit spes evidens emendationis, ex literis saltem testimonialibus Ordinarii, cujus conscientiam in his literis concedendis S. Congregatio serio oneravit.

Ne qua verò difficultas in supra scriptis decretis & ordinationibus exequendis suboriatur, Sacra Congregatio, Sanctissimo Domino Nostro annuente, atque approbante, universis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, & quibuscunque aliis Superioribus quorumcumque Ordinum, vel Congregationum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium ubique locorum existentium injungit, serioque mandat, ut illa diligenter observent, atque observari procurent in omnibus Cœnobiis, ac Monasteriis, Collegiis, ac Domibus quorumcumque Monachorum, ac Regularium ubique locorum existentibus, efficiantque, ut tam Decreta suprascripta fel. rec. Clementis VIII. quam præsentis Ordinationes in singulis ejusmodi locis, bis saltem in anno legantur in publica mensa.

Si quis verò ipsorum adversus ea, quæ superius præscripta sunt, vel eorum aliquid, quomodo facere, vel moliri præsumperit, ipso facto pœnam incurrat privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque activæ, & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, pœnaque hujusmodi sit Sanctitati Suæ, ac Sedi Apostolicæ reservata, iisdem Superioribus, etiam Generalibus, & Protectoribus illam moderandi seu relaxandi potestate penitus interdicta, & nihilominus sit irritum & inane quicquid secus, à quoquam actum extiterit. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum atque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationum, Monasteriorum, Conventuum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcumque, nec non illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis vel consuetudinibus etiam immemorialibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis, etiam in corpore Juris clausis aut ex causa, vel titulo oneroso, vel in limine foundationis concessis, etiam Mari Magno, seu Bulla



Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma servanda esset, tenores hujus-

modi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quo ad ea quæ supradictis quomodolibet adversantur, illis aliàs in suo robore permanens, specialiter & expressè Sanctitatis Sux autoritate, derogat, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ die 21 Septembr. 1624.

C. Card. Torrès.

Loco + Sigilli.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.

Q.

DECRETVM  
S. D. N. P. P. V. R. B. A. N. I. V. I. I. I.

Feria V. die 14 Aprilis 1633.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram Sanctissimo Domino nostro D. Urbano, Divina providentia Papa VIII. ac Eminentissimis & Reverendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

**S**anctissimus Dominus noster, sedulo incumbens, ut ea, quæ salubriter Apostolicis Decretis & constitutionibus, statuta & ordinata sunt, præsertim quæ ad Sanctum Officium Inquisitionis contra hæreticam pravitatem pertinent, inviolabiliter observentur, & omnimodam sortiantur executionem, districte mandat, & præcipit, ut omnes Superiores cujusvis Ordinis, Congregat. Societatis, etiam de necessitate exprimendæ Regularis, sive cujusvis alterius instituti, etiam quantumvis exempti, & privilegiati teneantur sub pœna privationis officii, ac vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, aliisque arbitrio Sanctitatis Sux infligendis in perpetuum, semel saltem in anno, id est, feria sexta, post Octavam Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, in publica mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter convocato, & insuper in quocumque Generali ac Provinciali Capitulo, Conventu, Dieta, vel alio quovis nomine nuncupato Capitulari congressu, suos subdi-

tos ac Religiosos commonere de injuncta omnibus observantia & executione earumdem Apostolicarum constitutionum & decretorum ad S. Officium Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem pertinentium, ac præsertim:

*Julii III. Constit. 1. incipit:* Licet à diversis. contra impediens Inquisitores hæreticæ pravitatis in eorum Officio, aut in causis Inquisitionis se ingerentes, eorumque complices, & fautores: & contra ipsos Inquisitores, admittentes Laicos, ad criminis hæresis cognitionem. Et *Pii V. Constit. 82. incipit:* Si de protegendis: contra occidentes, verberantes, dejicientes aut perterrefacientes quemvis ex ministris S. Officii Inquisitionis, vel Episcoporum, id munus in sua Dicecesi, vel Provincia, abeuntium, seu accusatorem, denunciatores, aut testem, in causa fidei quomodocumque productum, vel evocatum, nec non contra diripientes, expugnantes, invadentes, incendentes expilantes aliosve exportantes alicujus prædictorum bona, libros, literas, auctoritates,



rates, exemplaria, regeſta, protocolla, exempla, ſcripturas, aliave inſtrumenta, ſive publica ſive privata, ubicumque poſita, eorumque complices & fautores, & contra effringentes carcerem, vel cuſtodiam publicam, vel privatam, extrahentes, vel emittentes vincum, prohibentes capiendum, captumve eripientes, recipientes, occultantes, ſeu facultatem effugiendi dantes, ſeu id fieri iubentes, eorumque complices & fautores, etiam effectu non ſecuto, nullatenus accuſandos, niſi claras tantummodo probationes contrarium adducentes, & contra intercedentes pro præſatis delinquentibus; inſiſtis contra quemlibet prædictorum pœnis, quæ damnatis ex primo capite legis Iuliiæ maiestatis, eorumque filiis irrogantur: & oblata revelantibus impunitate.

*Pii IV. Conſtitut. 32. incipit:* Cum ſicut nuper, contra Sacerdotes, qui pœnitentes mulieres in actu Sacramentalis confeſſionis, ad inhoneſtos actus provocare, & allicere tentant & ſollicitant. Et *Gregorii XV. Conſtit. 4. incipit:* Vniverſi Domini gregis, ampliatiæ circa huius criminis probationes & extenſivæ contra Confeſſarios, qui perſonas (quæcumque illi ſint) ad inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confeſſionis, ſive ante, ſive poſt immediatè ſeu occasione vel prætextu confeſſionis, vel extra occasionem confeſſionis in confeſſionario aut alio in loco, ad audiendam confeſſionem electo, ſollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint. Et contra Confeſſarios non monentes eos, quos ſciunt ab aliis Confeſſariis ſollicitatos eſſe, ut Inquiſitoribus vel Ordinariis ſollicitantes denuncient, vel docentes eos ad ita denunciandum non teneri.

*Gregorii XIII. Conſtitut. 22. incipit:* Officii noſtri partes, de iurisdictione Inquiſitorum hæreticæ pravitate in eos, qui ad ordinem Preſbyteratus non promoti, Miſſas celebrant, & Sacramentaliter confeſſiones audiunt.

*Clement. VIII. Conſtitut. 81. incipit:* Etſi alias, declaratoriæ pœnæ contra eos inſigendæ per Iudices Laicos, prævia eorum degradatione. Et Sanctitatis Sux *conſtit. 79. incipit:* Apoſtolatus officium, extenſivæ ad minores 25 annis, dummodo vigefimum ætatis annum compleverint.

*Sixti V. conſtit. 17. incipit:* Cœli & terræ Creator, contra exercentes artem Aſtologiæ judiciariæ, & alia quæcumque divinationum genera, librosve harum artium legentes, vel tenentes. Et Sanctitatis Sux *conſtit. 113. incipit:* Inſerutabilia iudiciorum DEI, extenſivæ ad alia, & cum gravioribus pœnis.

*Clementis VIII. conſtitut. 42. incipit:* Cum ſicut, contra Italos, ne extra Italiam proficiſcantur ad loca, in quibus liber & publicus

cultus, ſive uſus Catholicæ Religionis non exiſtat, minusque in eis locis habitent.

Et *Gregor. XV. Conſtitut. 28. incipit:* Romani Pontificis, contra hæreticos, ne in locis Italiæ, & Inſularum adjacentium, quovis prætextu commorentur, & contra eorum fautores, & receptatores.

*Pauli V. Conſtit. 26. incipit:* Romanus Pontifex, revocatoriæ facultatum Superioribus quorumcumque Ordinum, & Religioſorum quouomodo conceſſarum, cognoscendi cauſas ſuorum Subditorum ad Officium S. Inquiſitionis quomodolibet pertinentes.

Ejuſdem *Conſtit. 97. incipit:* Regis pacifici, innovatoriæ conſtitutionum à *Sixto IV. & Pio V.* de conceptione Beatæ Mariæ Virginis editarum: impoſitionis majorum pœnarum in tranſgreſſores à locorum Ordinariis & hæreticæ pravitate Inquiſitoribus puniendos. Et *Gregor. XV. Conſtit. 29. incipit:* Sanctiſſimus Dominus noſter auditis, ampliatiæ & declaratoriæ prohibitionis aſſerendi, Beatam Mariam Virginem conceptam eſſe in peccato originali.

*Gregorii XV. Conſtit. 27. incipit:* Romanus Pontifex in ſpecula, revocatoriæ quarumcumque conceſſionum vivæ vocis oraculo factarum. Et Sanctitatis Sux *conſtit. extenſivæ* ad quoscumque quantumvis privilegiatos, & exemptos, *incipit:* Alias fel. recor. Gregorii Papæ XV. ſub dat. Romæ 20 Decembris 1631.

Ejuſdem *Conſtit. 40. incipit:* Apoſtolatus officium, & Sanctitatis Sux *conſtit. 114. incipit:* Eo modo, revocatoriæ licentiarum quarumcumque legendi & habendi libros prohibitos.

Sanctitatis Sux *conſtit. 37. incipit:* Sanctiſſimus Dominus noſter, ſollicitè animadvertens, de imaginibus nondum à Sede Apoſtolica canonizatorum vel beatificatorum cum radiis, ſplendoribus, aut laureolis non proponendis; tabellis, aut luminaribus ad eorum ſepulchra non apponendis, eorumve geſtis, miraculis, revelationibus, beneficiorum impetrationibus, non publicandis, aut imponendis.

Pariter Sanctitatis Sux *conſtit. 50. incipit:* Sanctiſſimus Dominus noſter pro debito ſui Paſtoralis officii, de libris ubicumque compoſitis, de quacumque materia tractantibus, ab his, qui leguntur in ſtatu Eccleſiaſtico, non tranſmittendis aliò, ut imprimantur, ſine Vicarii, & Magiſtri Sacri Palatii in Urbe, vel extra eam ſine Ordinarii, & Inquiſitoris, aut ab eis Deputatorum licentia.

Et ejuſdem Sanctitatis Sux *conſtit. ſub dato Romæ, die 5 Novembris 1631. incipit:* Cum ſicut accipimus, quod conſtitutiones Apoſtolicæ in concernentibus fidem Catholicam, & S. Inquiſitionis Officium hæctenus editæ, & impoſterum etiam ſuper quacumque



que alia re edendæ, omnes Regulares quomodolibet privilegiatos comprehendant nisi in edendis illis specialiter excipiantur.

Et insuper iidem Superiores teneantur curare & efficere, ut hujus decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conferrentur, ita ut ab eisdem subditis Religiosis omnibus videri, ac legi commodè

queant. Deque hujusmodi commonitione publico documento statim certiore facere Congregationem Sanctissimæ Inquisitionis in Vrbe. Et ita mandat, & præcipit Sanctitas Sua.

*Ioannes Antonius Thomastus,*  
Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis Not.

Anno millesimo, sexcentesimo, trigesimo tertio, Indictione prima, Pontificatus S. D. N. Urbani, divina providentia Papæ VIII. die verò septima mensis Iunii, supradictæ literæ, siue decretum affixum & publicatum fuit, ad Valvas Principis Apostolorum, ac in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Alexandrum Latinum, prælibati Sanctissimi D. N. Papæ Curforem.

## R.

Revocatio quorumcunque indultorum, Confessionalium, Maris magni, aliorumque privilegiorum, quibuscumque etiam Regularibus concessorum, in his quæ Concilio Tridentino adversantur.

PIVS EPISCOPVS,

SERVVS SERVORVM DEI,

Ad futuram rei memoriam.

**I**N principis Apostolorum Sede, meritis licet imparibus divina dispositione constituti, nihil neque universali Ecclesiæ curæ & sollicitudini nostræ commissæ, salubrius, neque injuncto nobis Apost: servitutis officio decentius præstare possumus, quam quod providentiæ nostræ ministerio œcumenicum Conc. Tridentinum sicut nostris potissimum auspiciis, summaque Sanctorum Patrum concordia per Dei misericordiam feliciter absolutum fuit, ita per universos, qui Christiana pietate censentur, ubique suscipiatur, & remoris quibuslibet obstaculis ab omnibus æqualiter observetur.

§. I. Cum itaq; in eodem Concilio quamplura salubria & ad universalem morum reformationem valde utilia decreta atque statuta, maturo præsentium ipsorum examine præcedente, sint edita, quibus multa atque diversa privilegia, exemptiones, immunitates, dispensationes, facultates, conservatoriæ, indulta, & ut vocant, confessionalia, & Mare magnum, & aliæ gratiæ, quæ variis tam Ca-

thedralibus, etiam Metropolitanis quam Collegiatis Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, & aliis Religiosis, etiam Fratrum Mendicantium domibus, & Ordinibus, nec non Sancti Spiritus in Saxia, Sancti Ioannis Lateranen. ac Incurabiliū de Vrbe, Sancti Antonii Viennen. & S. Bernardi Iuren. aliisque Hospitalibus, Militiis, eorumque Capitulis & Conventibus, ac Vniuersitatibus, etiam studiorum generalium Collegiis, tam sæcularibus quam Ecclesiasticis, Confraternitatibus, Societatibus, & tam Principis Apostolorum de Vrbe quam aliis Fabricis, Sanctæ Cruciatæ, aliisque piis locis & operibus, nec non Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Prælatibus, Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Præpositis & aliis Ecclesiasticis tam sæcularibus quam diversorum Ordinum & Militiarum regularibus, ac etiam Laicis cujuscunque dignitatis & excellentiæ, ac etiam Ducali, Regia, & Imperiali dignitate fulgentibus utriusque sexus personis, nec non aliquibus Notariis, & etiam de latere Legatis, atque Nuntiis, tam perpetuo quam ad tempus per Romanos Pontifices

Præ-



Prædecessores Nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam, ejusque Legatos hæcenus, etiam Motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine seu etiam Imperatorum, Regum, Ducum & aliorum Principum contemplatione & intuitu, etiam de fratrum consilio diversimodè, variisque temporibus, in genere, vel specie, ex quavis etiam honesta causâ concessa, & etiam pluries confirmata & innovata fuerunt in plerisque contrariantur.

§. 2. Nos quibus in primis cordi est, tam sancta & Ecclesiæ Dei saluberrima decreta suos, ut par est effectus ubique consequi & ab omnibus obedienter observari, privilegiorum, exemptionum, immunitatum, facultatum, conservatoriarum, indulgentiarum, confessionarium, Maris magni & aliarum gratiarum prædictarum, ac quarumcunque Apostolicarum & aliarum literarum desuper confectarum, processuumque decretorum & aliorum inde fecutorum tenores, ac si de verbo ad verbum infererentur, præsentibus pro sufficienter expressis & plenè insertis habentes, Motu proprio & ex certa scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, quod eadem omnia & singula privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, dispensationes, conservatoriarum, indulta, confessionalia, Mare magnum, & aliæ gratiæ in his omnibus & singulis, in quibus illa statutis & decretis Concilii hujusmodi contrariantur ipso jure revocata, cassata & annullata, ac ad ipsius Concilii terminos, atque limites reducta sint & censeantur, nec quidquam adversus ipsa decreta & statuta quominus ubique & apud omnes observentur, in aliquo suffragari posse, sed ea perinde haberi & reputari debere, ac si nunquam emanaf-

sent, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, ac etiam statuimus & ordinamus.

§. 3. Decernentes nihilominus omnia & singula, quæ vigore privilegiorum, exemptionum, immunitatum, & dispensationum, facultatum, conservatoriarum, indulgentiarum, confessionarium & aliarum quarumcunque gratiarum hujusmodi post id tempus, quo Concilium obligare cœpit, facta & gesta quomodolibet fuerunt & in posterum fient, in iis, in quibus dicti Concilii decretis adversantur, nulla, invalida & irrita esse & censeari, ac nemini etiam quantumlibet, ut præfertur qualificato, tam in foro quod ajunt fori, quam conscientiæ suffragari posse & debere.

§. 4. Et ita per quoscunque locorum Ordinarios, aliosque Judices & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi facultate, in utroque foro judicari & definiti debere, ac quicquid secus à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ declarationis, statuti, ordinationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis DEI, ac B. B. Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno incarnationis Dominicæ 1564, 13 Kal. Martii, Pont. anno 5.

Anno à Nativitate Dom. 1565. Ind. 6. die verò 24. Mensis Februarii, Pont. Sanctissimi in Christo Patris & D. N. D. PII, Divina providentia Papæ IV. Anno ejus 6. retrospectæ literæ Apost. affixæ & publicatæ fuerunt in acie Campi Floræ, & valvis Cancellariæ Apost. per nos Nicolaum de Matthæis, & Camillum Cherubinum, S. D. N. Papæ Curs.

*Philibertus Chapuis Mag. Curs.*



S.

RECENTIORES  
QVÆDAM  
HISTORIÆ,

ex quibus pleraque ex supradictis  
confirmantur.

## HISTORIA PRIMA.

P. **I**ohannes Dominicus Ottonellus, in præclaro libro suo, quem inscripsit; Nonnulla bona Monita & Casus conscientia, circa periculofam conversationem &c. Anno 1646. Florentia edito, plura, eaque valde memorabilia exempla in medium adducit. Quod primo loco proferimus, recenset ipse monito 12. nota 3. his secundum Latinum idioma propè verbis:

Narratum hoc mihi fuit, ait Auctor, à venerabili Sacerdote, confessionis filio meo, & simul Notario publico, magni iudicii, nec minoris virtutis viro, quod ei hoc sæculo circa annum 1628, contigit. Sacerdos erat curatus, inhonestæ vitæ, qui domi concubinam alebat, habuerat autem curam suam Parochialem extra urbem, sed ædes, & in his lupam suam, in ipsa urbe. Volens itaque Deus impudicum hominem gravius castigare, vehementem ei morbum immisit, ex quo in eum statum perductus fuit, ut ego, (dicit Notarius) accersitus fuerim, & rogatus, ad operam meam in conficiendo ipsius testamento collocandam. Ivi ego, & perspecto ægri supremo vitæ periculo, cœpi eum modis, quibus poteram optimis, adhortari, ut animum, & cogitationes accommodaret aliquantisper, ad declarandam ultimam suam voluntatem, & dispositionem de bonis suis temporalibus. Monitio hæc mea frustra fuit, quicquid enim ego dicerem, hoc unicùm pro responso audivi, AN ISTÆ MERETRICES IMERETRICES!

Ego hominem juvare satagens, alios & alios sermones, qui idonei videbantur attuli, aliud tamen responsum impetrare non potui, quam putidas illas voces, Sacerdotali ore pla-

nè indignas. Tandem defatigatus, desperansque à me confici posse id, propter quod aderam, conversus ad circumstantes cognatos dixi: Vos huc me vocastis propter Testamentum, & videtis ipsi, quomodo servire vobis non possim. Consultius esse reor, ut advocentur viri Religiosi, qui ægrotum hunc ad bene moriendum disponant, ego hinc abeo; quod petita ab iis licentiâ, tunc feci.

Sequenti mane accessit concubina illa ad ædes meas, mihi que dixit; ego huc veni, ut rem tibi novam recenseam; sed quam illam? eloqui vix valeo.

Parochus iste noster, præterita nocte transiit ex hac ad alteram vitam, veruntamen eheu per qualem mortem! vehementer sanè horribilem & formidandam: audi obsecro: Antequam moreretur, rationis adhuc & sermonis compos, ad cubiculum, ubi decumberet, me vocavit, iussitque ut tres ordines sellas, proximè ad lecti spondam collocarem: collocavi, & iterum abii, sed non procul, ut si me denuò acciret, ocyùs adesse possem.

Et ecce cum ingenti stupore meo tunc audivi cum aliis in cubiculo illum colloquentem: admirabunda ego, & cupida cognoscendi, quinam essent ii, cum quibus sermocinaretur, iteratò ingressa, præter ipsum neminem conspicio: Et ille subito ad me: IBIMUS, ait. Respondi ego, Domine in Villam ibimus, sed recuperata prius valetudine: ad hoc iteravit: Ibimus non ad Villam, sed ad infernum.

Et scias, mecum hic confedisse tres ex orco Dæmones, qui decretoriam denunciarunt mihi sententiam damnationis meæ, clareque edixerunt, eundem mihi esse ad infernum; & tu etiam certò seque ris eodem.

viii E e

Eheu



Eheu verba ista transfixerunt cor meum, & magnopere turbata inde exivi; attamen paulo post horridam vociferationem percipio, moxque in cubiculum resiliens, infelicem Parochum penitissimè esse mortuum, deprehendo, sulphureumque fetorem tam gravem exhalare, ut me penè exanimem pro-  
 itereret.

Iste est status & finis miserabilis & funesti Parochi illius. Quid ergo consilii? quid me jam facere oportet? Mea soror, (respondit Notarius) ego tibi suadeo, ut à simili tam enormi, insolito, & horribili eventu, animam tuam eripias. Cogita hanc esse peculiarem admonitionem tuam, utere illa in bonum, & salutem tuam; Vende ea quæ habes, & fac eleëmofynas, castiga corpus tuum per pœnitentiam, & disce ex Domini istius exemplo infernum fugere.

Væ tibi, si obsurdescas ad voces istas, & excæcata remaneas ad tantum prodigium, tu teipsum damnabis.

Digressa tunc ista fuit à me, cum bonis promissis, & optimis propositis, sed hæc ipsa distulit exequi. Tandem post quindecim dies, redux ad me facta, magis quam antea conterrita & perturbata dixit: O chare amice & frater, scias, quod singulis noctibus ferum animal quoddam in forma sædissimæ felis, gulam meam faucesque invollet, & ve-

hementer suffocare me satagat, quam per summam etiam violentiam difficulter abigere possum.

O soror, respondi ego, istud animal non est felis, sed truculentus aliquis diabolus, qui vita corporali, si DEUS permiserit, privare te molitur, ut animam tuam secum ad orcum asportet; itaque nequaquam ulterius differas, quin veram pœnitentiam illico arripias; etiam in minima mora maximum est periculum grandis ruinæ tuæ.

Sic abiit ista denno, nec pœnitentiæ animum adjunxit, & post aliquot dies repertæ fuit subitanea morte extincta, exiguam spem salutis suæ relinquens.

Ingemiscere hic lubeat cum magno Augustino: O quanta iniquitas! O quanta per-versitas! ut animam, quam Christus suo sacro Sanguine redemit, luxuriosus quisque propter unius momenti delectationem, diabolo, pessimo inimico suo, vendat ac tradat! Itaque nobis hoc dici à S. Ephræm credamus: Compungere ò anima mea, compungere de omnibus malis, quæ fecisti, compungere in cunctis, in quibus te DEUS patienter expectavit: compungere & pœnitentiam age, ne tenebris tradaris exterioribus: Resipisce misera & afflicta anima, ne coram horrendo Christi tribunali confundaris.

## HISTORIA SECUNDA.

**P**rædictus Auctor monito. 14 notâ 9. istud commemorat. Anno Domini 1639 in loco quodam Cafentini mortuus est Sacerdos, qui animarum curam gerebat, propriæ animæ penitus negligens: supervixerat usque ad annum ætatis 90. & administravit Ecclesiam sibi commissam 60. annis, tam illiteratus, ut nec Latinitatis principia calleret. Juvenis adhuc in domum suam recepit scēminam, sub nomine famulæ, quæ tamen reverà concubina fuit: & quidem cum alio maritata, quæ ex dicto parcho, & non ex marito suo plures concepit, & genuit filios.

Sex annis ante mortem ablegaverat quidem illam ex ædibus suis, nihilominus frequenter ad eum redibat, cum scandalo aliorum: sæpius à Prælati aliis admonitus & punitus fuerat, etiam censuris Ecclesiasticis, & multis pecuniariis, absque ulla tamen subsequente emendatione.

Peccato libidinis plura alia gravissima scœlera adjungebat: quotidie pictis chartis ludebat, inter ludendum horribiliter blasphemare, lusuque sibi adverso, & infortunato 20 aut 25 vicibus uno spiritu exclamare

solitus, ò Christe, ò Christe, ò Christe, &c.

Quodam die longius à Parochia sua abierat, ad faciendas cum aliis ibi præsentibus sacerdotibus defuncti cuiuspiam exequias. His finitis, sumptroque prandio, ad chartarum lulum rediit, eumque ad horam usque 23 Italicam continuavit. Amissa omni pecunia ludendo, cum alio quodam domum suam redire cepit.

Inter redeundum, ingens pluvia supervenerat, noctisque tenebræ intensæ erant: Itaque graviter prolapsus, à comite tamen iterum in pedes erectus, vociferari cepit: Ego sum mortuus, ego sum mortuus. O misera anima mea! ego transegi vitam sceleratam, hæc & hæc peccata commisi; & sic pertexuit generalem quandam confessionem; postquam domum perductus fuerat, venit ad illum sacerdos alius, eique SS. Sacramenta administravit.

His perceptis ex casu illo penitus convalescit. Mense uno inde elapso in gravem morbum relapsus, vocari ad se iussit Parochum quendam, nepotem suum, sed iste venire noluit, ob magnum fastidium quod ex scelerata



lerata ipsius vita conceperat. Accepit tunc Sacramenta ab alio quodam Sacerdote, sed DEUS novit cum quali dispositione hoc factum sit. Certè miserabilis, quæ sublecuta est catastrophe, alia omnia indicat.

Nam paulò post in agonem desperatione plenum incidit. Clamavit dies & noctes, nunc altiore, nunc ordinaria voce; altius clamando ejulabat instar desperabundi hominis: rediens ad communem vocis usum, furibundus dicebat; O Christe! repetendo Sacrum illud nomen, cum certo signo indignabundæ vindictæ. Interdum resolvebat sacrilegam linguam contra Sanctissimam Virginem Mariam, indignas & spurcas contra illam voces jactando: hunc desperatum & diabolicum agonem quatuor ipsos dies continuavit. Objurgatus subinde à circumstantibus, vertebat sermonem aliò, sed absque ullo pœnitentiæ signo, quotiescunque ad pietatem facientia verba ei ingerebantur, aliò seolvebat, ne audiret. Tandem deficiente articulata voce, latrare cœpit, non aliter quam rabiosus aliquis canis, & perstitit in latratu illo dies pariter, noctesque, sine ullo peccatorum suorum indicio. Latravit autem à die Mercurii, usque ad vesperum diei Veneris, & sequenti die Sabbati animam exha-

lavit, moxque lingua notabiliter tumefacta apparuit.

Hæc, subjungit auctor, scripta legi in litteris, à successore Sacerdote in Parochia illa, accuratè & fideliter exaratis.

Verè Judicia tua, ò DEUS, abyssus multa! investigabiles gubernationis tuæ viæ! Flagitium hoc humani, propudium hoc Sacerdotalis generis, tanto tempore ita tolerare? impune esse sinere? sed quis, ò incomprehensibilis Divinitas, in similibus consiliarius tuus fuit, aut est? quis alius, nisi inscrutabilis sapientia tua? Tu ipse, providentissime DEUS, renovas hæc talia, & proponis nostro etiam sæculo, nostrisque annis hujusmodi exempla, ut nos adhuc persistites, & ad resipiscentiam expectati, his edocti, timere te, amare, & colere, certamque vocationem nostram facere satagamus. Cœlum, terra, inferique contra nos verè formidandis vocibus clamabunt, intonabuntque, nisi à simili scelerum farragine abducti, in sanctitate & justitia coram te vivere incipiamus. Ego dixi; dicamus omnes cum Regio Propheta, nunc cœpi; Mutatio hæc Excelsi, & ab ipso unice desiderata: non obsequimur?

## HISTORIA TERTIA.

HÆc aliunde habetur, ex Relatione fide digna, & contigit in Polonia, circa annum 1642. Juvenis erat nobilissimæ inter Polonos familiæ, hujus honori ut parcat, nomen, aliàs non ignotum, subicitur.

Tempore studiorum, ad quæ Brunsbergæ incumberebat, inter primos erat, qui vel à diligentia, vel à bonis moribus laudem insignem mereretur. Expleto litterarum isthic curriculo, arrisit ipsi status Ecclesiasticus, in quem se transtulit, & illico in Regia Urbe Cracoviensi Prælati effectus fuit: attamen sub veneranda & honesta toga, inhonestam mox vitam pessimis avibus auspiciatus fuit, non absque celeberrimæ familiæ, & suscepti Ordinis Ecclesiastici dedecore, ac infamia. Inter Magnates Regni erat unus aliquis, Prælati hujus novitii affinis, qui ut Juvenem a Regia Urbe avelleret, sibi que viciniorem haberet, insignem Præposituram ei impetravit, eo in loco, ubi ipse affinis Præfectum tunc agebat, hoc potissimum sine, ut homini vicinior, illum ad melioris vitæ bonorumque morum semitam reduceret, in eaque contineret. Bonum consilium, sed operato successu vacuum: Miser Præpositus sceleris jam inolito assuefactus, non minus hic

illud angebat, quam Cracoviæ solitus erat, nec abstinerat illum, aut principi inde familiæ enata injuria, aut intentatæ divini iudicii minæ, quo minus sceleratè cœptam telam pertexeret, inque scelerata vita, & divino, & humano timore ac respectu posthabito, imprudentissime persisteret: sed audi catastrophem, & eventum verè miserabilem.

Factum est, ut die quodam Dominico, quo festum B. Stanislai Koskæ in partibus illis celeberrimum habebatur, infelix Præpositus, cum familia ad arcem quandam suam concederet, consuetis sibi deliciis & voluptatibus liberius vacaturus. Cœnatur opipare, remotis mensis jubet omnes ex conclavi abesse, præter concubinam, quam secum retinuerat.

Inchoato itaque noctis primo silentio, omnibusque alto somno sepultis, repente per totam arcem terribiles & abominandi tumultus, clamoresque dissoni insonant, non aliter, quam si omnia ursis, apris ac lupis horrendum ululantibus, ac frementibus plena essent. Quod planè auditu atrox, & funestum erat. Interea concubina, naturæ necessitate adaucta, cubiculo egreditur, & ecce ei sese objiciunt formæ nonnullæ Vi-



rorum, mira proceritate ferocientes, tetrae, nigrae, flammantibus oculis: qui alio non dicto, sed dentibus formidabiliter fremdentes, insolito tumultu ac ferocia in conclave introrumpunt, illudque ingenti, & late personante cum furore ocludunt.

Illico tam violenta conqussatio, confractio, & ululatus consequitur; ut tota domus contremisceret.

Interea famuli expergeseri, curriculo ad conclave advolare; istud tamen omnem etiam virium conatu adhibito, penetrare nequeunt, ideoque jam ante ex formidando, qui praecesserat, tumultu, & turbatione exterrfacti, pedes retro ferunt.

Illucescente die, animos resumunt, & probe armati, Domino suo suppetias (heu nimis seras,) laturo, ad conclave recurrunt, quod nec hac vice referare per vires suas possunt. Vnus eorum audacior, arreptis scalis ad fenestram se unam evehit, introspicit, neminem conspicit: progreditur, & per fenestram in ipsum conclave se intro-mittit, obseratam januam aperit. Quam ad-

aperta omnis familia se introfert: huc illucque oculos circumferunt, Dominum suum indagantes, & reperiunt illum tandem, sed absque ullo vitae superstitis indicio. Miserabile corpus sub lecto jacebat, instar globi convolutum, inter pedes inclusum haerebat caput, ex toto sanguinolentum, nigrum, informe & abominandum, artus omnes; & ipsa adeo ossa contracta, & comminuta erant, humus, lectus, & parietes recenti cruore madidi, & foedati. Talem, tamque tragicum exitum habuit, tot nobilia stemmata, tot praecclaras naturae dotes ostentans Iuvenis, Nec diu in sua coram DEO infelicitate felici esse licuit: quid enim animae inde factum sit, pronum est conjicere; ut adeo verissimum esse illud, miserando hoc exemplo discamus: Breve, & momentaneum est, quod delectat, longissimum vero & aeternum, quod cruciat. DEVS non irridetur, neque semper tardat, sed inausata peccatorum mensura completat, Iustitiae suae, ejusque executoribus cursum suum, cheu quam illatibilem! relinquit.

## HISTORIA QVARTA.

**H**Anc suppeditat iterum nobis auctor supra allegatus, nota 9. isto verborum sensu Anno 1643. D. Alphonfus Mendes, Patriarcha Aethiopiae, scripsit Congregationi de propaganda Fide, sequentem & plane miserabilem Clerici cujusdam exitum. In Ceila, quae est una ex Insulis Orientalibus, vivebat sacerdos quispiam, totus immerfus libidinis faeculentiae: multo tempore domi suae concubinam tenuerat, ex qua, postquam aliquot natos sustulisset, in gravissimum morbum subito conjicitur, quem ipsemet lethalem & extremum esse, tunc judicavit, qualem etiam fuisse res ipsa docuit. Itaque advocata Lupam suam, varia cum eadem negotia transegit, tandem subjunxit: ego morior quidem nunc; sic virium extrema lassitudo & debilitas autumares me faciunt; sed cave tu, ne cum alio quopiam Matrimonium ineas; nam post mortem meam ocyus me inde expediam, & ad te revertar,

ficque delitiosam vitam, quam haecenus inter nos duximus, porro continuabimus. His dictis, paulo post infelicem animam exhalavit.

Quod autem hanc abiisse putabimus? non alio, quam unde ad hanc usque diem, nemo rediit; certe nec ipse reversus fuit. Iste nimirum foedissimi hujus sceleris inter alios crudissimus fructus est, ut ipsum Rationis, Fideique lumen penitus obfuscet, & formidabilem mentis caecitatem inducat, unde in tam vehementer absurdas persuasiones, & haereticas adeo opiniones prolapsus existit. Considerate itaque, exclamat S. Ephraem, fratres mei, ne dum subito clamor infonuerit, inveniatur quis vestrum Lampadem obscuram, & sine oleo habens, damneturque in tenebras exteriores, & supplicia illa immortalia, atque aeterna, ubi erit fletus & stridor dentium, nunquam finiendus aut mitigandus.

## HISTORIA QVINTA.

**D**ignus est gravi consideratione Casus iste, (ait Auctor noster appendice ad Notam 9. Moniti 13.) qui Anno 1614, 11 Aprilis, Romae mihi scriptus fuit, a fide digna persona, qui evenit in ipsius Urbis quodam Hospitali, secundum scriptam

relationem Curati, qui tunc ibi praesens fuit; & est hujus tenoris.

Sacerdos quispiam 60 annorum, infirmitate tactus, recipi petiit in Hospitali, & magna cum charitate acceptus, medicinis, aliisque rebus necessariis, bene habitus fuit: Mor-



Morbus tamen neququam remisit, sed potius ita ingravescere perrexit, ut ægrum ad extrema perduceret, idè ministrata illi fuerunt solita Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremæ Unctionis. Quibus perceptis, insolens & formidabilis eventus sese aperuit.

Subitò æger commoveri contra quosdam adversarios, ab aliis non visos, ac si pugnaret & disputaret cum illis, & dein tanquam victus, desperabundus iteratò dixit, non est amplius misericordia pro me, non est spes salutis, ego sum damnatus, sum damnatus. Curatus, qui præsens aderat, audiendo hæc voces, consolari illum cœpit & animare: ne teipsum deseras, ajebat, ne abjicias animum, ne desperes, sed cor, potius & animum, & affectum, ad divinam eleva misericordiam, rogando ab hac adiutorium, & opportunum auxilium. Ah respondit moribundus, non possum hoc ego facere: non est ulterius tempus pro me: factum jam est, non video exitum aut præsidium. Ecce, ecce inimicus Diabolus, conatur me hinc rapere, & pedibus abstrahere. Et hoc dicens, nitebatur retrahere pedes, ne comprehenderentur, perque eos abriperetur. Curatus, acceptâ aqua lustrali, eum aspergebat & signabat.

Diabolus, imitando vocem moribundi, sono tamen aliquantisper diverso, dicebat: Asperge illum, asperge illum, signa illum, signa illum, nihil juvat infamem istum conspergere aquâ Sacrà, aut Cruce illum signare, nam totus est noster, totus est noster: Nunquam fecit aliquid solidi boni, sed patravit omnia mala.

Ad hoc subjunxit desperatus: Ego vester sum, ego sum inimicus DEI, inimicus Christi, inimicus paradisi: & idè renuntio Patri, & Filio & Spiritui Sancto, Paradiso, Mariæ Virgini, Sanctis, Fidei, Ecclesiæ, Romano Pontifici, omnibus renuntio; nam ire debeo ad abyssum inter damnatos, & sub pedes infamis ludæ, Tu, tu, reposuit Diabolus, tu infamissime, dignus es æternâ pœnâ.

Tu habebaris bonus in vita, sed hæc pessima erat. Tu bonum aliis pro concione dixisti, ipse malum fecisti, committendo omnia septem Mortalia peccata. Agedum, quid tibi nunc videtur de vitâ tuâ, & quid dicetur de te in magno illo Iudicii die? Quam tu stabis ibi probrosus & confusus, quando omnes tuæ feiditates manifestabuntur? Tu fecisti in tali loco tale peccatum, si objicietur tibi, poterisne negare? Alias iniquitates commisisti in alio loco, & alias graviore in alio, & gravissimas iterum in alio loco. Insper patraisti maxima & horrenda scelera, cum talibus circumstantiis

temporis, cum talibus personis. nonne recordaris? Hæc omnia detegentur, & omnium oculis exponentur, ô infamissime, cum maximâ tui confusione. Nunc instat extrema hora, jam finitæ sunt tuæ deliciæ & jucunditates, non gaudebis amplius, nec jucundaberis, sed gravissime punieris in inferno, qui te expectat, ut ipsius tormenta sentias.

Interposuit se sollicitus Curatus, & decumbentem denuò erigere conatus est, ut ad Divinam misericordiam animo conversus, verum Contritionis actum eliceret. Quid contritio? respondit Diabolus. Non est jam tempus hoc faciendi pro isto, nunquam illam exercuit per vitam suam, nec jam instante mortis hora exercebit; infamis iste ignorat etiam, quid rei sit verâ contritio, & non potest amplius pœnitere. Imò verò potest, reclamatione Curatus, cum Divinâ gratiâ potest pœnitere, potest optimum contritionis actum elicere: tum Diabolus, sed non faciet, est totus noster: & si quid simile faciat, tamen non fiet ab ipso, uti necesse est; faciet enim ex mero pœnæ timore, & sic ei nihil proderit; totus est noster, totus est noster.

Fecerat tunc Diabolus versus aliquot, eosque decantaverat, in signum alicujus lætitiæ, quam capere se fingebat ex infelicis illius desperatione; simulque iteratò ei objiciebat omnia & singula peccata, cum distinctis temporum, locorum, personarum, aliisque circumstantiis: & cantillando concludebat, est noster, est noster. Hoc totum desperabundus iste confirmabat, subjungendo Amen, Amen, Amen.

Ah noli timere Diabolum, repetiit Curatus; ah noli desperare: adhuc pro te misericordiæ tempus est. Cogita exemplum boni latronis, qui post gravissima scelera ad pœnitentiam receptus, sperare cœpit in Divina misericordia. Interpellans hostis reclamavit: Non est amplius pro isto occasio. Curatus prosequendo ait: Dic solum cum pœnitente latrone: Memento mei Domine, & ex toto corde dolens, commenda te Domino. Ad hoc Diabolus: non potest se DEO commendare cui nunquam servivit; noster est, noster est. Et ecce desperatus æger, altâ voce exclamabat. Vester sum ô Diaboli, ego vester sum. Agite, venite omnes, venite, ecce me, vester sum, Amen, Amen, Amen. Ecce venimus, respondit Dæmon, venimus: & tu nobiscum venies: Vitæ enim tuæ tempus pro te jam nunc finitum est. Iam jam involutus es in Æternitate. Et ista quamdiu durabit? Vnum annorum millionem? Amen. Et postea iterum inchoabitur de novo: & quamdiu durabit? in æternum? Amen. At verò æternum quamdiu durabit?



Quamdiu DEVS durabit? Amen. Et quamdiu DEVS durabit? Semper? Amen. Nunquam, nunquam finietur? Nunquam: Amen. Semper nunquam? Amen. O miser, O infelix! incidisti in laqueum: Infernus te manet.

Addit hic Curatus de se loquens: Ego de novo confortatus, consperli moribundum aqua sacra: Diabolus cum risu & cantu adjunxit: signa illum, signa illum, lava illum, lava illum, nec hilum ei prodest. Et desperatus novo furore excandescens, etiam alios criminari cepit, appellando Romam malignam, malam aulam, Prælatos iniquos, Sacerdotes, Religiosos, Iudices omnes sceleratos. Tace, inquit Curatus, nam Roma Sancta est. Cur taceam, subjunxit æger, cur taceam? O sacerdos attende tibi, quisque enim suos patimur manes, tu etiam tuos. Interea Curatus recitare cepit Litanias de Beatissima Virgine: Has desperatus orando persecutus fuit, & aliquantisper indoluit. Tandem finis impositus fuit atrocissimo huic conflictui, & moribundus in alia verba linguam resolvit, dicendo: Benedi-

ctus DEVS: Intellectus mihi apertus fuit, & vidi centum cacodæmones, qui per pedes meos, me extrahere satagebant, & secum asportare.

Grandior inter illos, fauces mihi compresserat, & falsa quædam objecerat. Hoc dicto, DEO se commendavit, & peccatorum suorum veniam rogare visus fuit, totus tamen tremebat, sudabatque instar glaciei frigidus.

Curatus denuò adhortatus eum est, ad faciendum confessionem, at ille respondit: Ego non possum confiteri, non possum: & paulò post expiravit. Eventus iste, ad varias Italiæ partes perscriptus fuit: & hinc in Siciliam ubi ego (inquit auctor) commoratus anno 1635. cognovi ex Patre quodam Societatis, quod navigando cum pluribus Dominis, totam rei seriem eis narraverit, & quod tunc subito omnes voluerint confiteri, magnum peccatorum suorum dolorem præ se ferentes. Placeat DEO, ut omnes peccatores, emendationis hinc occasionem accipiant, & Spiritualis fructus.

F I N I S.









